Prov. Calif.
216
Sp

P. Theophilus Spácil S. J.:

Repetitorium

apologeticae et theologiae fundamentalis.

Ad usum privatum auditorum.

T. III. De fontibus revelationis.



Oeniponte.
Typis et Sumptibus Feliciani Rauch.
1917.

17366

California Province

Praeter scripta, quae aut de uno fonte revelationis tantum agunt, aut unam alteramve solum quaestionem ad rem nostram pertinentem tangunt, et quae occasione data allegabuntur, conferri possunt:

Melchior Canus, De locis theologicis (Migne, Theol. cursus l. III, 235 ss.).

Bellarminus, De verbo Dei l. IV, (Venet. 1711).

J. Franzelin, De divina traditione et scriptura, Romae 1875.

C. Schrader, De theologico testium fonte, Paris. 1878.

L. de San, Tractatus de divina Traditione et Scriptura, Brugis 1903.

J. Müller, De verbo Dei revelato, Oeniponte 1906.

H. Hurter, Theologiae dogmaticae compendium[12], t. I, Oeniponte 1909.

G. Van Noort, De fontibus revelationis, Amsteldami 1907.

Chr. Pesch, Praelectiones dogmaticae, t. I[4], Friburgi 1909.

Fr. Egger, Enchiridion theologiae dogmaticae generalis[5], Brixinae 1913.

P. Schanz, Apologie des Christentums[3], III, Freiburg i. B. 1906.

Th. Specht, Lehrbuch der Apologetik und Fundamentaltheologie, Regensburg 1912.

Fr. Hettinger, Lehrbuch der Fundamentaltheologie und Apologetik[3], Freiburg 1913.

ALMA COLLEGE
LIBRARY
Alma, California

Pars prima.

De divina traditione.

Quaestio prima.

De existentia traditionis.

Cf. *Müller p. 10 ss.* — *Pesch n. 560 ss.* — *Hurter n. 110 ss.*

Status quaestionis. — In praesenti tractatu respondetur quaestioni, undenam desumantur ea, quae credenda sunt fide divina et quae obiectum proprium theologiae constituunt. Quae quaestio duplici modo potest proponi a) quaenam sit *immediata et proxima regula* vel norma credendi, b) quinam sint *fontes mediati* et ultimi doctrinae revelatae. — *Protestantes veteres* statuebant s. scripturam, i. e. collectionem librorum, qui Spiritu sancto auctore conscripti divinam revelationem continent, esse unicum fontem, ex quo doctrina fidei hauriri possit, eamque simul esse immediatam normam et regulam credendi, quam unusquisque privatim legens ea quae credenda sunt, colligit et invenit. Contra quos affirmamus: a) *immediata regula* vel norma credendi est viva *vox magisterii authentici* a Christo ad doctrinam suam incorrupte conservandam et propagandam fundati, b) *fontes*, qui revelationem continent et ex quibus ipsum magisterium quae docenda sunt desumit, duo sunt: *s. scriptura* et *sacra* vel divina *traditio.* 1

Thesis 1. Sacra scriptura non est regula immediata fidei, sed medium proximum et authenticum conservationis et propagationis doctrinae Christi est magisterium vivum a Domino institutum.

2 ***Praenotanda.*** — Veritas in thesi proposita principale exhibet discrimen inter *protestantes veteres* et *catholicos*. Scripturam ut immediatam regulam et proximum medium revelationis divinae conservandae, propagandae, cognoscendae protestantes omnes admittebant, in eo tamen inter ipsos controversia erat, quod aliqui censerent s. scripturae sensum ab unoquoque propria ratione intellegi posse, alii autem ad illustrationem Spiritus sancti vel quendam internum pium sensum, quandoque etiam ad declarationes doctorum tamquam adminiculum externum provocarent. — Doctrina in thesi exposita per *magisterium ordinarium* ecclesiae semper proponebatur in ecclesia. Enuntiatur haec veritas etiam in *Vatic. sess. III. cap. 4 (D 1792).*

3 ***Arg. primum, ex s. scriptura.*** — Christus in apostolis suis instituit vivum magisterium authenticum perenne ad doctrinam suam incorrupte conservandam et propagandam. Ergo hoc magisterium est tamquam vera regula immediata fidei habendum et ut proximum medium doctrinae revelatae conservandae et propagandae.

4 *Antecedens* probatur inde, quod Christus Dominus ab initio suae vitae publicae quosdam ex suis asseclis specialiter *elegit* (Lc 16, 12 ss), *nomine* proprio „apostolorum“ i. e. legatorum *insignivit* (Mt 10, 2, Eph 4, 11) ante alios specialiter eos *instruebat* (Lc 9, 3; Io 13), eos ipse ad evangelium praedicandum saepius *misit* (Lc 9, 1 ss); maxime autem colligitur institutio magisterii tamquam organi doctrinae revelatae ex *Mt 28, 18 ss* et *Mc 16, 15*. Magisterium hic Christus instituit *(„docete“, „praedicate“)*, ad suam doctrinam conservandam et propagandam *(„quaecumque mandavi* vobis“, *„evangelium“)*, universale et perenne *(„omnes gentes“, „omni creaturae“, „omnibus diebus“)* authenticum, quod nempe vi auctoritatis docet et ius habet ad assensum

exigendum („Data est mihi omnis *potestas*, euntes *ergo docete*“, *„qui non crediderit, condemnabitur“)*, cui infallibilitas promittitur („ecce *ego vobiscum sum* omnibus diebus“).

Unicum autem esse hoc medium authenticum conservandae et propagandae doctrinae sequitur a) ex eo quod *nullius alterius medii* in scripturis mentio fit, b) quod assignatur ut *sufficiens* et pro omnibus *obligatorium.* 5

Arg. secundum, ex traditione. — SS. PP. et scriptores ecclesiastici in pugna cum haereticis, ut veritatem catholicae fidei ipsis ostendant, ad vivum magisterium authenticum tamquam fidei normam immediatam provocant („*traditionem apostolorum* in toto mundo manifestatam *in omni ecclesia adest respicere* omnibus, qui vera volunt videre“, Ir. III. 3, 1, *MG 7, 848*, „Non oportet quaerere apud alios *veritatem*, quam *facile est ab ecclesia sumere*, cum apostoli quasi in depositorium dives, plenissime in eam contulerint omnia quae sint veritatis“, ibid 4, „quid autem praedicaverint apostoli, id est quid illis Christus revelaverit — *non aliter probari debere nisi per easdem ecclesias*, quas ipsi apostoli condiderunt“, Tert., De praescr. c. 21, *ML 2, 33*). — Et quidem provocant PP. ad vivi magisterii doctrinam ut plane sufficiens medium (Bas., hom 24 c. Sabell *6*, *MG 31, 611*), per quod et s. scriptura ipsa conservatur et explanatur (Tert., Praescr. c. 19, *ML 2, 31*; Ir., l. 3, c. 4 n. 1, *MG. 7, 855*; Cyr. Hieros., Catech. 4, 23, *MG 33, 495*; Aug., c. epist. fund. c. 6, n 5, *ML 8, 176*; Vinc. Lirin, Commonit c. 27, *ML 50, 674*). 6

Obiectiones: 1) Contra *modum* nostrum *argumentandi* posset obici. Vivum magisterium esse regulam proximam fidei et traditionem esse praeter scripturam fontem revelationis probatur aut ex traditione et ipsa viva voce magisterii aut ex scriptura. Atqui utroque modo iam auctoritas traditionis et vivi magistrii supponitur, ex qua auctoritate unice de ipso canone et inspiratione scripturae constare potest. — 2) SS. PP. verba Mt 28, 20 de assistentia, quam omnes fideles acceperunt, explicant. Ergo nil ex istis verbis pro existentia magisterii authentici deduci potest. — 3) Secundum Act 17, 11 videtur lectio s. scripturae medium cognoscendae doctrinae revelatae assignari. — 4) PP. priorum saeculorum ad doctrinam magisterii vivi provocabant ut ad medium naturale et historicum veritatis revelatae cognoscendae. — 7

5) In conciliis ecclesiae antiquae primo loco semper s. scriptura legebatur et ad eam provocabatur.

Thesis 2. Sacra scriptura non est unicus revelationis fons, sed praeter s. scripturam alius fons divinae revelationis datur nempe traditio.

8 ***Declaratio.*** — *Ex eo, quod medium* ad doctrinam Christi propagandam et immediata regula fidei est *magisterium* authenticum, *non adhuc sequitur, duplicem fontem* divinum revelationis dari; per se enim res ita se habere posset, ut unicus esset fons remotus, scil. scriptura, quae tamen non ab unoquoque privatim legenda et exponenda esset, sed per ecclesiae authenticum magisterium proponeretur et explanaretur. Et licet collectio talium explanationum et propositionum decursu temporis constitueret aliquem fontem revelationis ad s. scripturam accessorium, tamen hic non esset proprie divinus fons revelationis. Affirmamus hic igitur *ipsum Deum revelationem suam duplici in fonte* hominibus commisisse, per s. scripturam et per traditionem, uterque autem fons magisterio authentico conservandus et proponendus traditus est.

Traditio vi etymi est idem ac transmissio alicuius rei ad aliquem, imprimis autem transmissio alicuius doctrinae vel veritatis oraliter aliis facta. Traditio *activa* est ipsa illa actio, qua doctrina transmittitur ad alios, *passiva* autem vel *obiectiva* traditio est doctrina, quae traditur. Traditio *religiosa* erit transmissio doctrinae religiosae ad alios. Traditio *divina vel sacra* in sensu stricto prout nunc a nobis accipitur est transmissio doctrinae revelatae. Revelationem communicari per magisterium vivum i. e. existere traditionem activam ex praecedenti thesi constat, ex qua etiam elucet dari aliquam traditionem passivam, quam scil. constituerent declarationes magisterii authentici circa doctrinam revelatam etiam tunc, si unicus fons divinae revelationis a Deo traditus esset scil. s. scriptura. Hic insuper affirmamus *ab initio fuisse traditionem obiectivam vel passivam* a Deo datam tamquam specialem fontem. *Neque tamen per hoc affirmatur* iam hunc

fontem ita esse *distinctum* a s. scriptura, ut contineat quaedam dogmata, quae nullo modo in scriptura inveniantur; per se enim posset duplex esse fons solum modo proponendi et claritate distinctus. Atque in traditione contineri dogmata, quae in s. scriptura non sunt, in sequenti thesi ostenditur. Traditio obiectiva, quatenus novum dogma a scriptura non propositum continet, vocatur *constitutiva*, quatenus dogma a scriptura enuntiatum, sed clarius proponit, appellatur *declarativa*, quatenus idem dogma eodem modo habet, *interpretativa*. Quae omnia de traditione divina vel sacra stricte dicta valent, cuius nempe obiectum est revelatio divina. Cum autem praeter ea, quae divinam revelationem constituunt et iuris divini in ecclesia sunt, et ipsi apostoli complura praescripserunt et ecclesiastica auctoritas decursu temporis varia instituit ad posteriores transmittenda, loquimur etiam de traditione *apostolica* et *ecclesiastica*. — Traditiones divinae autem dividuntur in traditiones *dominicas* i. e. illas veritates, quae a Christo in terris degente magisterio authentico commissae sunt, et *divino-apostolicas*, quas Spiritus sanctus post Domini ascensionem apostolis manifestavit. — Quia veritates revelatae ex utroque fonte, traditione nempe et s. scriptura, pariter per idem medium, vivum magisterium i. e. per traditionem activam communicantur, aliquando sensu latiore tota doctrina revelata sub nomine traditionis occurrit (cf 2 Thess 2, 14).

Per se intellegitur nil prohiberi, quominus etiam veritates traditionis scriptis consignentur vel alio modo e. gr. per monumenta repraesententur, sive ab ipso magisterio, sive ab aliis. — Thesis est definita *in conc. Trid.* s. IV. (D. 783) *et Vatic. s. III.* (D. 1792).

Arg. primum, ex indole et origine s. scripturae. — *Libri scripturae* neque *statim* ecclesia a Christo condita conscripti sunt neque *hac mente, ut* doctrinam revelatam fidelibus quasi ex *professo traderent*, sed ob alias causas, saepe mere accidentales et occasionales (ad solatium, difficultatem removendam, monitionem dandam), quare doctrinam revelatam systematice non tradunt, saepe res fidei 9

et morum nonnisi obiter tangunt et obscure tradunt. Atqui haec omnia non intelligerentur, si scriptura esset unicus fons revelationis.

10 ***Arg. secundum, ex traditione.*** — *SS. PP.* non solum magisterium vivum ut medium authenticum doctrinae revelatae conservandae et propagandae statuunt, ideoque ad traditionem activam provocant, sed *etiam duplicem fontem* divinae revelationis expresse assignant.

Ad exemplum sint: Basil, de Spir. sancto c. 27, n. 66, *MG 32, 187* („Ex asservatis in ecclesia dogmatibus et praedicationibus *alia* quidem habemus e doctrina *scripto prodita, alia* recepimus *ex traditione* apostolorum"), Chrysost., hom. 4 in 2 Thess, n 14, *MG 62, 488* („est perspicuum, quod non omnia *apostoli tradiderunt* per epistulam, sed *multa* etiam *sine scriptis*, et ea quoque sunt fide digna"), Epiph., Haer. 61, n 6, *MG 41, 1047* („traditione quoque opus est. *Neque enim* ex *scripturis* peti possunt *omnia*").

Arg. tertium, (ad confirmationem) ex s. scriptura. — In *2 Thess. 2, 14* s. Paulus doctrinam revelatam, quam fidelibus tradidit (παράδοσις, doctrina tradita sensu latiore) *partim in epistula* sua contineri, *partim oraliter* traditam fuisse dicit. Cf. etiam 2 Tim 2, 2; Hebr 2, 3.

Ceterum cum s. scripturam esse unicum fontem reveationis nequaquam per se intellegitur, sed modus potius naturalis et hominibus ad doctrinam revelatam cognoscendam magis adaptatus traditio esse videatur, *adversariorum esset, positive ostendere* Dominum voluisse, ut sola s. scriptura sit fons revelationis.

12 ***Obiectiones:*** 1) Ex iis, quae dicta sunt de origine s. scripturae et quae ex aliquibus textibus s. scripturae ad rem demonstrandam afferuntur, solummodo sequitur traditionem ante s. scripturam conscriptam fuisse fontem revelationis. Atqui ex eo nondum concludi potest eam etiam postea fontem remansisse. — 2) Inde quod s. scriptura neque systematice neque clare semper dogmata proponit, demonstrari potest eam non esse immediatam credendi normam, non tamen sequitur eam non esse unicum fontem revelationis. — 3) S. Scriptura docet ipsa suam sufficentiam in ratione fontis revelationis divinae (Io 20, 31; 2 Tim 3, 16, 17) — 4) Item inculcat s. scriptura saepius nihil esse sibi addendum (Deut 4, 2; Prov 30, 6; Apoc 22, 18, 19) — 5) Ipse

Christus Dominus videtur auditores suos ad s. scripturam ut ad unicum fontem remittere (Io 5, 39) — 6) Scriptura contemnit traditiones (Ez 20, 18; Mt 15, 3) — 7) SS. PP. dicunt scripturas esse sufficientes, plenas, perfectas (e. gr. „sufficiunt per se sacrae et divinitus inspiratae litterae ad veritatis diiudicationem," Athan, or. c. gent. n. 1; *MG 25, 3;* „electa sunt, quae scriberentur, quae saluti credentium sufficere videbantur," Aug. tract. 49 in Io, init. *ML 35, 1746;* „omnia sunt dilucida et recta, quae sunt in divinis scripturis, manifesta sunt, quaecunque sunt necessaria," Chrys. hom 3 in 2 Thess. c. 2 n. 4 *MG 62, 485)* — 8) Immo ss. PP. directe traditionem ut fontem excludunt („manifestus a fide lapsus est et superbiae crimen, si quis aliquid ex iis, quae scriptis mandata non sunt, introducat," Basil, de fide c. 1 *MG 31, 679;* „quae in scripturis non reperimus, ea quemadmodum usurpare possumus?" Ambr, de offic I, c. 23 *ML 16, 54;* „si quid dicitur absque scriptura, auditorum cogitatio claudicat," Chrys. super ps. 95, n. 7 *MG 55, 628*). — 9) Traditio ex natura sua corruptioni obnoxia est. Ergo non bene assignatur ut fons divinae revelationis.

Adnotatio. — Ad difficultates ex ss. PP. solvendas 13
notandum est a) *ss. PP.* saepe non *opponere* scripturam traditioni divinae, sed potius *traditionibus occultis,* falsis vel privatae opinioni singulorum; b) eos dicere scripturam esse *sufficientem* non quoad omnem doctrinam revelatam, sed *quoad certum dogma,* de quo praecise agunt, vel quoad veritates quasdam fundamentales.

Thesis 3. Traditio divina est fons revelationis a s. scriptura ita distinctus, ut quaedam dogmata in traditione contineantur, quae in s. scriptura non inveniuntur.

Declaratio. — Ex praecedenti iam constat veritates 14
revelatas duplici modo fuisse a Deo communicatas, ut per vivum magisterium proponantur, sc. per s. scripturam et traditionem. Per se ex hoc adhuc non sequitur traditionem obiectivam plane alia vel saltem etiam alia dogmata continere quam s. scriptura, quia posset esse duplex fons modo proponendi solum aut claritate diversus. Hic demonstramus *traditionem quaedam dogmata in scriptura non proposita continere.* Hoc sensu igitur dici potest traditionem etiam strictius sumptam (non scil. quatenus latiore sensu etiam scripturam

complectitur) *latius patere* quam s. scriptura, licet ex alia parte iterum scriptura latius pateat, continet enim praeter res fidei et morum complures res s. d. per accidens revelatas vel profanas (cf infra n. 19).

Traditionem sensu explicato latius quam s. scripturam patere, expresse definitum non est, sed aequivalenter *a magisterio authentico* proponitur tum eo quod traditio ut contra s. scripturam fons distinctus proponitur (Vat. sess. 3 cap. 2 et 3, D. 1787, 1792) tum eo quod dogmata quaedam ad credendum proponuntur, quae in sola traditione inveniuntur.

15 ***Arg. primum, ex ratione theologica.*** — Ipsius sacrae scripturae (saltem totius) *inspiratio et canon* dogmatice non potest probari nisi ex traditione divina. Ergo saltem haec dogmata debent in alio fonte i. e. in traditione inveniri.

16 ***Arg. secundum, ex PP.*** — SS. PP. non solum duos fontes revelationis divinae assignant, scil. scripturam et traditionem, sed de iis ita loquuntur, ut sensu obvio intellegendi sint affirmare traditionem continere dogmata, quae in s. scriptura non sunt. Cf. quae allegata sunt (n. 10) ex Basil. *(„alia scripto prodita, alia ex traditione")* et ex Ephiph. *(„neque enim ex scripturis possunt peti omnia").*

17 ***Arg. tertium, ex praedicatione magisterii authentici et confessione adversariorum.*** — Inde ab initio a magisterio ecclesiae complura ad credendum proponebantur et multa ab *ipsis adversariis* (protestantibus) creduntur, quae in scriptura non continentur. Talia sunt e. gr. validitas *baptismi ab haereticis* collati etc.

18 ***Obiectiones.*** — 1) Videtur dicendum in traditione solum tales veritates contineri debere, quae in s. scriptura non sunt. Ad alias enim s. scriptura cum magisterio authentico sufficit. — 2) Deinde si traditio ea continet, quae sunt in scriptura et insuper alia, s. scriptura videtur esse superflua.

Thesis 4. Magisterii authentici est etiam ipsam s. scripturam authentice explicare saltem in rebus fidei et morum.

19 ***Declaratio.*** — Cum secundum ea, quae dicta sunt unicum medium authenticum ad conservandam et propa-

gandam doctrinam revelatam sit, et duplex fons, scil. traditio et scriptura, ex quibus haec doctrina hauritur, adsit, iam sequitur ecclesiae magisterium etiam aliquo saltem modo se debere ad explicationem authenticam textuum s. scripturae extendere.

Res, quae in *s. scriptura* continentur et narrantur, *duplicis generis* sunt, aliae quae ratione sui cum supernaturali fine aeterno cohaerent ideoque per se vel ratione sui revelantur et communicantur, et tales *res fidei et morum* vocantur, aliae quae in se, ratione sui nullam cum fine supernaturali religioso habent connexionem, sed solum ab auctore scripturae Spiritu sancto ad illustrandas, suavius et amoenius describendas res fidei et morum ponuntur, quae vocantur, *per accidens revelatae* vel *res scripturae profanae*. In thesi affirmamus ecclesiam positive posse *sensum textuum dogmaticorum* saltem, i. e. talium, qui res *fidei et morum* continent, authentice determinare.

Thesis declarata est a magisterio ecclesiae in *conc. Trid. sess. 4* (D. 786) et *Vatic. sess. 3, c 2* (1788).

Arg. primum, ex ratione theologica. — Iuxta 20
superius dicta *magisterium* authenticum *proponere debet ex fontibus revelationis*, i. e. ex s. scriptura et ex traditione, veritatem revelatam. Atqui magisterium authenticum non posset proponere veritatem revelatam ex s. scriptura, si non ius haberet et auctoritatem saltem textus s. scripturae res fidei et morum continentes authentice declarandi.

Arg. secundum, ex praxi. — Magisterium authen- 21
ticum *hoc ius sibi attribuit* et complures textus dogmaticos authentice quoad sensum, qui tenendus sit, declaravit. Ergo hoc ius magisterio ecclesiae est attribuendum.

Antecedens non solum constat ex theoretica declaratione huius potestatis data a *conc. Trid.* et *Vat.*, sed et ex praxi ecclesiae. Ecclesiae enim magisterio complures textus dogmatici authentice declarati sunt, ut e. gr. ille *Io 10, 30* („Ego et Pater unum sumus“, Conc. Sard. Ephes), *Io 20, 22, 23* („Accipite Spiritum sanctum“, Trid.), *Mt 16, 18; Lc 21, 32, 33; Io 21, 15* (Vat.).

Ratio consequentiae ex demonstrata infallibilitate magisterii petitur.

22 ***Corollarium.*** — Ex argumentis sequitur magisterium authenticum posse authentice explicare scripturam saltem in rebus fidei et morum. *Quoad alias res s. d. profanas* rationes allatae non probant, affirmandum tamen est, ecclesiae magisterium sensum horum textuum *negative saltem* posse determinare, in quantum omnem explicationem potest reicere et condemnare, quae aut aliquod dogma in discrimen vocet aut cum inspiratione s. scripturae vel eius inerrantia componi non possit. Hoc enim ex officio et potestate ecclesiastici magisterii depositum fidei integrum servandi et ipsam s. scripturam custodiendi sequitur.

23 ***Obiectiones.*** — 1) Si magisterium ecclesiae esset s. scripturae interpres authenticus, iam magisterium humanum iudex esset supra verbum divinum. Atqui hoc repugnat dignitati verbi divini. — 2) Ex alia parte videretur ecclesiae magisterio attribuenda auctoritas etiam textus s. d. profanos positive declarandi. Ea enim potest ecclesiae magisterium positive determinare, quae cum obiecto revelationis directe cohaerent. Atqui res s. scripturae s. d. profanae cum obiecto revelationis directe cohaerent. — 3) Saltem non videtur haec veritas de auctoritate magisterii authentici in explanandis textibus dogmaticis s. scripturae definita esse a conc. Trid. et Vat. Decreta enim, quae afferuntur, mere disciplinaria sunt.

Quaestio secunda.

De criteriis divinae traditionis.

Cf. *Müller p. 86 ss.* — *Pesch n. 572 ss.* — *Hurter n. 128 ss.*

24 ***Status quaestionis.*** — Traditio passiva vel obiectiva prout strictiore sensu accipitur in oppositione ad scripturam est collectio veritatum revelatarum oraliter traditarum et per se oraliter transmissarum. *Traditio* igitur haec *per se in viva voce magisterii* authentici conservari et in vivo magisterio ab omnibus cognosci posset. Quia tamen nil *prohibet, quominus* traditio haec decursu temporis *consignetur* (et de facto etiam diverso modo consignata est),

extant plura *documenta et monumenta,* ex quibus colligi potest, quaenam fuerit et sit doctrina traditionis et quae propterea *criteria traditionis* vel media cognoscendae traditionis appellantur.

Sunt autem alia criteria *directa*, quae ab ipso magisterio authentico proveniunt (definitiones Papae, conciliorum, catechismi, epistulae dogmaticae praesulum ecclesiae etc.), alia *indirecta* quae ab aliis originem habent (scripta Patrum, theologorum, historiae haeresum, monumenta in catacumbis, ecclesiis etc. depicta), per se possunt esse alia iam ex *se infallibilia* et infallibiliter doctrinam traditionis manifestantia, alia ex se et *seorsim sumpta nondum infallibilia.*

Ex omnibus criteriis traditionis summi momenti sunt *scripta ss. Patrum* et *theologorum.* Patet omnes eos, qui negant traditionem esse fontem divinae revelationis et vivum magisterium revelationis conservandae et propagandae medium vel organum, etiam auctoritatem Patrum et theologorum nihili facere; sed etiam ex iis, qui traditionem ut fontem admittunt, non omnes recte de Patribus et theologis sentiebant. Contra quos omnes sequentes theses statuuntur.

Thesis 5. Unanimis ss. Patrum in rebus fidei et morum consensus infallibile criterium traditionis divinae praebet.

Declaratio. — *Ss. Patres* eos *scriptores* ecclesiasticae *antiquitatis* nominamus, qui *doctrina* theologica et *sanctitate* eminebant et ab ecclesia ut fidei divinae praecones vel defensores *approbantur.* — Voce antiquitatis hic prima saecula ecclesiae intelliguntur usque ad saec. VIII. fere, aliqui tamen etiam ad posteriora tria saecula tempus hoc extendunt. Qui in antiquitate christiana de rebus fidei et morum erudita scripserunt, sed aut ut sancti non coluntur aut in quibusdam apertius a doctrina ecclesiae deviaverunt, *scriptores ecclesiastici* nominantur, Patres vero ecclesiae non appellantur. — *Approbatio* ecclesiae aut est *expressa* aut

implicita (ex usu, quem ecclesia de scriptis Patrum facit). Ut quis inter Patres numeretur, sufficit ut doctrina eius in genere approbetur (approbatio *generalis*), aliquando autem habetur *specialis* approbatio Patris et quorundam capitum eius doctrinae; si ecclesia aliquam doctrinam Patris suam facit eamque solemniter tamquam veram traditionis doctrinam declarat, habetur approbatio *specialissima.* — Plurimi Patres etiam episcopi erant, quae tamen non est conditio necessaria. — Ii scriptores ecclesiastici, qui speciali doctrina splendent et sancti sunt, ab ecclesia *doctores ecclesiae* nominantur, licet ad antiquitatem christianam non pertineant.

26 Patres in scriptis suis possunt considerari a) ut homines vel *doctores privati,* si aut *non* tractant de *rebus fidei* et morum, aut rem fidei et morum sed *obiter* tantum vel opinative tangunt vel non ipsam rem in se, sed *ulteriores* quasdam *explicationes* vel *argumenta* proponunt, b) ut *doctores authentici,* si rem *fidei et morum* ut *certam* proponunt, c) ut *testes infallibiles,* qui infallibiliter doctrinam revelatam ecclesiae tradunt. In thesi affirmamus, Patres tunc esse testes infallibiles doctrinae revelatae, *si ut doctores authentici consensu* moraliter saltem *unanimi* aliquam doctrinam proponunt.

Auctoritatem Patrum practice plures *haeretici* contemnebant; expresse negant eam imprimis *protestantes* et *modernistae.*

Ecclesia saepius *practice et theoretice* veritatem in thesi propositam declaravit, ut ex argumentis thesis patebit.

27 ***Arg. primum. — Ex theoretica declaratione et praxi ecclesiae.*** — Ecclesia a) in *conciliis* ad auctoritatem ss. Patrum tamquam certum criterium revelatae doctrinae provocabat, b) praecipue *unanimem explicationem* ss. Patrum quoad textus dogmaticos ut infallibilem normam statuit, c) ss. Patrum *osores* et auctoritatis eorum contemptores *damnavit.* Ergo.

Antecedens probatur quoad primam partem v. gr. ex *conc. Lat.* a. 649. („Si quis secundum sanctos Patres non

confitetur... non respuit et anathematizat etc." D. 270, 271) *Constant. IV.* („definitiones et sensus s. Patrum veluti quasdam lampades semper lucentes retinere debemus", D. 336), quoad secundam partem ex *conc. Trid. sess. IV.* (D. 786) et *Vat. s. III* (1788), quoad tertiam ex condemnatione *A. Günther* (D. 1657) et *modernistarum.*

Arg. secundum.* — *Ex proprietatibus ss. Patrum. — Patres utpote doctores scientia et sanctitate eminentes et antiquitati christianae coaevi doctrinam antiquitatis christianae docere *potuerunt* et *voluerunt*, eos autem *revera* eam integram *docuisse,* si in aliqua doctrina consentiunt, non solum ex eo liquet, quod *impossibilis* esset *talis consensus* diversorum Patrum ad diversas regiones pertinentium, si res proposita in revelatione vere non fundaretur, praesertim autem ex eo, quod certe aliquis *contradixisset,* immo ipsum magisterium necessario contradicere *debuisset* neque Patrum doctrinam approbare potuisset. 28

Corollarium primum.* — *De Patribus seorsim spectatis. — Cum consensus, qui ad hoc, ut Patrum doctrina infallibile criterium praebeat, requiritur, moraliter i. e. de morali unanimitate sit intelligendus, sequitur per se *unumquemque Patrem* in rebus fidei et morum *aliquid falsi* docere potuisse. Nihilominus in *iis, quae maioris momenti* sunt et tempore Patris manifesto ab ecclesia proponebantur, error *non est admittendus* (— cum auctoritate et approbatione Patris enim componi non potest —), in aliis autem non facile est concedendus; et de facto, si quae difficultas occurrit, res fere semper ita explicari potest, ut ostendatur verba s. Patris orthodoxa esse aut eum ut doctorem mere privatum de hac re agere. — Licet solus *consensus* Patrum criterium infallibile traditionis praebeat, tamen ad argumentum patristicum conficiendum *non est necesse omnes Patres allegare,* sed aliquos principaliores tantum, cum supponi possit, alios idem sentire, et ipsa concilia (e. gr. Ephesinum) aliquorum tantum Patrum auctoritatem ad confirmandum dogma adducant. 29

30 ***Corollarium secundum. — De auctoritate Patrum quoad res cum fide connexas.*** — Si ss. Patres ut organum magisterii ordinarii ecclesiae loquuntur, *etiam in conclusionibus fidei immediatis,* ad quae infallibilitas ecclesiae pariter sese extendit, infallibile traditionis criterium praebent, si in tradenda conclusione consentiunt. — Quia infallibilitas ss. Patrum ad ea solum se extendit, quae tamquam res fidei vel conclusiones immediatas certo tradunt, aliquo modo debet ex ipsorum modo loquendi colligi, num de re ad fidem pertinente agant, licet in hoc *certis formulis* loquendi *non restringantur.*

31 ***Obiectiones:*** 1) Ss. Patres errabant docentes chiliasmum seu falsam doctrinam de regno mille annorum in his terris post mundi finem extruendo (ita Iust, Dial. cum Tryph 80 *MG 6, 663,* Iren. l. V. c 31-36 *MG 7, 1208,* Tert. Meth. Lact etc.) et quidem communiter, ut colligitur ex Hier, in Ezech l. XI c. 36 *ML 25, 539* et in l. XVIII in Isai, praef. *ML 24, 627);* item errabant in doctrina circa statum animarum hominum iustorum post mortem usque ad resurrectionem corporum, putantes animas hoc tempore visione beatifica privari (Ambros, de bono mortis c. 10 n. 46 *ML 14, 560;* Chrys. hom. 39 in 1 Cor n. 3 *MG 61, 336;* Aug. ep. 148 n. 8 *ML 33, 625* et alibi; similiter Hilarius) — 2) Ss. Patres in unanimi consensu explicabant textum Is. 53, 8 de generatione aeterna Christi, et Hebr 6, 46 de impossibilitate secundi baptismi. Atqui hae explicationes nunc communiter reiciuntur. — 3) Ipsi Ss. Patres et theologi scholastici non videntur agnovisse Patres ut testes infallibiles doctrinae revelatae. Nam S. Aug., ep. 82, n. 3 *ML 33, 277* omnes scriptores praeter s. scripturam tantum probare dicit, quantum eorum argumenta valent, et s. Thomas, Ia p., qu 1, a 8, ad 2 dicit tantum probabile argumentum posse peti ex Patribus.

Thesis 6. **Etiam singuli Patres in rebus fidei et morum aliquid certo proponentes veram theologicam auctoritatem habent, immo certis in circumstantiis paucorum, aliquando unius Patris etiam testimonium infallibile traditionis criterium esse potest.**

32 ***Probatur prima pars.*** — Auctoritas ss. Patrum non solum in eorum personali doctrina et sanctitate fundatur, sed maxime in nexu, quem cum magisterio authentico habent, praecipue vero in approbatione, qua gaudent

Atqui *etiam singuli Patres* ab ecclesia *approbati* sunt. Ergo si ut authentici doctores aliquid proponunt, eorum doctrina non solum propter argumenta allata sicuti doctrina alicuius hominis privati accipienda est, sed verum theologicum argumentum ex auctoritate praebet.

Probatur secunda pars. — Tunc certe etiam 33
paucorum Patrum, immo unius etiam Patris, doctrina infallibile criterium revelationis merito censetur, si ostendi potest *doctrinam hanc esse doctrinam magisterii authentici.* Atqui hoc aliquando ostendi potest, si ecclesia doctrinam paucorum Patrum vel unius Patris speciali vel specialissima approbatione suam fecit atque declaravit.

Corollarium primum. — De diversitate auc- 34
toritatis et de dissensu Patrum. — *Ex diverso gradu approbationis* diversus etiam gradus auctoritatis Patrum habetur, praeterea si unus Pater plus quam alius alicui quaestioni operam dedit testimonium eius maiorem valorem habet. — In iis, quae ad fundamentaliora pertinent et tempore Patrum manifesto ab authentico magisterio proponebantur, verus *dissensus* Patrum esse non potest, quia secus dicendum esset rem simul propositam fuisse a magisterio ecclesiae et simul non propter dissensum Patrum; in aliis autem rebus dissensus adesse potest, tum apparens (si aliqui aut non vere contrarium docent aut opinative tantum), tum verus (aliis etiam cum certitudine contrarium proponentibus), quo in casu auctoritas Patrum sese mutuo elidit et nullum argumentum strictum ex Patribus proponi potest.

Corollarium secundum. — Regulae de usu et 35
explicatione ss. Patrum. — Regulae hae *aliae* sunt, *quae generatim in explicando quocunque auctore* etiam profano adhibendae sunt; quae partim philologicae sunt (lingua, usus verborum illius temporis et huius scriptoris, contextus), partim psychologicae (scientia, eruditio, status et circumstantiae personales), partim historicae (facta illius temporis, nexus vel etiam dependentia ab aliis scriptoribus, status scientiae illius temporis). *Aliae* autem sunt *propriae* ss. Pa-

trum, scil. eorum auctoritas theologica tum generaliter tum hac in re prae oculis habenda, fides et praxis ecclesiae aliunde nota consideranda, est videndum deinde, quinam errores contra fidem tunc spargebantur; insuper semper observandum, utrum omnes conditiones adsint, quae necessariae sunt, ut testimonium Patrum sit irrefragabile.

Thesis 7. Unanimis et constans theologorum catholicorum consensus in rebus fidei et morum est infallibile criterium traditionis.

36 ***Declaratio.*** — *Scholae catholicae* theologicae eae vocantur, quae sub ductu et inspectione magisterii ecclesiae doctrinam revelatam proponunt, explicant, defendunt; magistros in his scholis *theologos catholicos* vocamus. Imprimis autem intelliguntur in thesi *theologi scholastici,* qui inde a saeculo XII. usque ad XVII. in ecclesia doctrinam traditam in scholis catholicis proponebant. — Similiter atque auctoritas Patrum etiam auctoritas theologorum repetitur *ex agnitione magisterii authentici* ecclesiae; cum autem ad Patres solum ii, qui etiam sancti sunt, pertineant, in theologis haec conditio non requiritur; Patres insuper vix non omnes ut episcopi ad ipsum magisterium authenticum tamquam pars pertinebant, dum theologi tantum organum magisterii sunt. Tandem Patrum unanimis consensus etiam in conclusionibus immediatis facit, ut res tamquam *de fide* ex ordinario magisterio ecclesiae proposita accipiatur; si quid theologi in communi et constanti consensu ut conclusionem theologicam docent, doctrina *theologice certa* est.

Consensum theologorum ut certum argumentum et criterium traditionis divinae praeter eos, qui auctoritatem Patrum negant, etiam recentiores quidam theologi admittere nolebant, ut *Georg. Hermes* († 1831), *Ant. Günther* († 1863). Contra quos omnes thesim ut *theologice certam* ponimus.

37 ***Arg. primum.—Ex theoretica et practica agnitione ecclesiae.*** — Magisterium ecclesiae a) ad doctrinam

communem theologorum *provocabat*, b) contemptores et osores auctoritatis theologorum *condemnabat*, c) *positive* etiam *statuit* unanimem et constantem theologorum consensum esse sequendum. Ergo theoretice et practice agnovit consensum theologorum ut certum criterium traditionis divinae.

Antecedens quoad *primam partem* constat e. gr. ex concilio Vienn., Trid., quoad *secundam* ex bulla Sixti V. pro canoniz. s. Bonaventurae, prop. Luth. damn. 29 (D 609) et prop. syn. Pist. damn. 76, 79 (D 1576, 1579), quoad *tertiam* ex ep. Pii IX. ad arch. Colon. 1857 (D 1657).

Arg. secundum. — Ex nexu inter magisterium authenticum et theologos. — Magisterium authenticum scholis catholicis invigilat, theologi catholici sub ductu et auctoritate eius docent, et ipsi episcopi, membra magisterii authentici e scholis catholicis prodeunt. Si igitur a theologis catholicis in unanimi et constanti consensu error aliquis doceretur, hic error in ipsum magisterium redundaret, quod admitti nequit. 38

Obiectiones. — 1) Theologi communiter errabant in rebus fidei, docentes e. gr. episcopatum non esse sacramentum, vel ordines minores esse sacramenta, vel in sacramento poenitentiae remitti peccata directe a Deo citra ministerium sacerdotis etc. — 2) Theologi in tantum possent testificari de doctrina revelationis, quantum essent coaevi revelationi. Atqui theologi valde posteriores revelationi sunt. — 3) Saltem medii aevi theologi non videntur praebere certum criterium doctrinae revelatae, utpote qui nimis speculationibus inutilibus indulgebant. 39

Corollarium primum. — Diversitas auctoritatis singulorum theologorum. — Sicuti Patrum non est eadem auctoritas, ita etiam theologi diversi diversam auctoritatem habent, non solum ratione eruditionis suae, sed etiam ex *diverso gradu approbationis* ecclesiasticae. Inter omnes primum locum propter specialem approbationem et commendationem s. Thomas tenet, cuius doctrina igitur communiter ut vera doctrina accipienda est, quia supponi potest eum doctrinam ecclesiae tradere; non tamen per approbationem ecclesiae omnia et singula doctrinae puncta ut vera declarata sunt. 40

41 ***Corollarium secundum. — De consensu fidelium.*** — Non solum doctrina Patrum et theologorum, sed ipsa *fides universalis* et *constans* ecclesiae discentis praebet, saltem in dogmatibus principalioribus, quae a populo christiano explicite creduntur, infallibile criterium doctrinae traditae. — Nam a) ecclesia non solum in docendo, sed et in *credendo* est infallibilis, b) repugnat, ut *magisterio infallibili* vera docenti respondeat error universalis et constans credentium, c) ipsum magisterium authenticum quandoque ad consensum fidelium *provocabat* (Pius IX. ante definitionem de Imm. Conc. B. M. V.).

Pars secunda.

De s. scriptura.

Quaestio prima.

De existentia inspirationis s. scripturae.

Cf. *Müller p. 184 ss.* — *Pesch n. 605 ss.* — *Hurter n. 154 ss.* — *Specht, p. 354 ss.* — *Calmet,* De divinorum librorum inspiratione, Lucc. 1729 — *Crets,* De divina bibliorum inspiratione, Lovan. 1886 — *Schiffini,* Divinitas scripturarum, Aug. Taurin. 1905 — *Fei,* De evangeliorum inspiratione, Paris, 1909 — *Dausch,* Die Inspiration des N. T., Münster, 1912 — *Chr. Pesch,* De inspiratione sacrae scripturae, Frib. 1906.

Status quaestionis. — Nomine sacrae scripturae 42
insignitur illa *librorum collectio, quos omnes christiani tamquam certissimam fidei regulam* venerantur et quibus specialem auctoritatem divinam tribuunt. Alia nomina s. scripturae sunt: libri *canonici* (κανών, norma, catalogus), *testamentum,* a Deo hominibus quasi haereditate traditum, *sacrae litterae, biblia. Sacra* autem vocatur scriptura non solum ratione materiae, quam continet, sed etiam ratione originis, in quantum scil. *a Deo speciali influxu,* qui inspiratio per excellentiam vocatur, est conscripta. — Quod in praesenti quaestione probatur de tota collectione ss. librorum tum contra quosdam *haereticos veteres* (Manich., Gnost.), qui solum N. T. Deo, V. T. principio malo attribuebant, tum contra *protestantes liberales* recentes, *rationalistas, modernistas,* qui aut libros sacros eodem gradu sicuti narrationes mythicas paganorum ponunt, aut eos solum eo sensu sacros dicunt, quod res sacras vel ad affectus religiosos excitandos aptas continent.

Thesis 8. Collectio librorum, quae s. scriptura vocatur, summam et divinam auctoritatem habet.

43 ***Declaratio et valor dogmaticus.*** — In praesenti solum probatur s. scripturam divina auctoritate speciali gaudere, non *solum eo, quod res divinas tractat* (hoc enim etiam in libris pure humanis fieri potest), sed eo, quod aliquo speciali modo a Deo procedit. Hunc modum autem consistere in inspiratione, qua Deus vero sensu auctor s. scripturae evadit, in sequenti thesi ostendetur. — Veritas in nostra thesi demonstrata *implicite* continetur in *veritate de inspiratione* s. scripturae, quae *definita* est (n. 46).

44 ***Arg.*** — *Iudaei* tempore Christi s. scripturae summam et divinam auctoritatem tribuebant. Atqui *Christus et apostoli* hanc Iudaeorum fidem et persuasionem *approbaverunt.* Ergo.

Maior indirecte iam ex eo ostenditur quod *in controversiis* cum Iudaeis *numquam* a christianis haec veritas *demonstrabatur,* sed ut utrique parti communis supponebatur, directe autem e. gr. ex *Philone*, iuxta quem scriptura non solum sacra, eloquium Dei nominanda (in eius scriptis passim), sed scriptis sacris nil addere nil demere licet (de vita Moysis l. 2, § 5, n. 29), omnia admiratione digna (ibid. l. 2, § 1, n. 2), per eas Deus ea quae vult per prophetas tamquam organa manifestat (de monarchia § 9), insuper ex *Flavio Josepho,* iuxta quem scripturae fides est habenda, quae ex divina inspiratione est scripta, in qua nihil addere, mutare, demere licet, pro cuius veritate et custodia etiam moriendum est (c. Apion, l. 1, c. 8), et ex *Origene* (c. Cels. l. 5, c. 60: „in confessione est apud utrosque [Iudaeos scil. et christianos] biblia divino Spiritu fuisse scripta").

Minor propositio negative iam ex eo probatur, quod Dominus persuasionem Iudaeorum numquam reprehendit, positive autem ex eo quod eam comprobat (Io 5, 34), et ex eo, quod Christus Dominus et apostoli ipsi coram Iudaeis

divinam auctoritatem scripturae tamquam rem notam praedicabant, ut ex sequenti thesi melius patebit.

Adnotatio. — Argumentum hoc per se solum divinam 45
et summam auctoritatem s. scripturae V. T. comprobat. Quomodo tamen etiam ad libros N. T. extendi possit, in sequentibus apparebit, ubi etiam difficultates solventur. Aliqua ex testimoniis allatis iam enuntiant auctoritatem divinam, quae scripturae inest, esse ipsam inspirationem, quod tamen expresse in thesi sequenti probatur.

Thesis 9. Scriptura sacra Spiritu sancto inspirante conscripta Deum habet auctorem.

Declaratio et valor dogmaticus. — Liber aliquis 46
potest dici divinus vel eo solum ,quod res divinas continet (aliquod compendium dogmaticae) vel eo, quod a Deo aliquo modo procedit sive per assignationem materiae conscribendae sive per approbationem ideae etc., vel eo, quod Deus ita in ipsum influit, ut ipse vocari possit auctor libri. Ex praecedenti thesi constat s. scripturam saltem secundo ex modis assignatis divinam dici debere, nunc insuper probatur s. scripturam tertio sensu etiam et *proprie divinam* dici. — *Liber* iuxta communem acceptionem est *summa quaedam signorum scriptorum*, quae velut ectypi summam iudiciorum vel sensorum tamquam proprium typum repraesentant; *auctor* autem libri vocatur, qui est causa intellectualis libri proxima sive immediata (auctor secundarius, instrumentalis) sive mediata (auctor primarius, principalis). — *Inspiratio* (in — spirare) sensu generalissimo quemcumque influxum in mentem alterius significat, deinde pro revelatione, pro assistentia Dei in magisterio authentico, pro immissione gratiae divinae adhibetur, stricto sensu autem praecise illum *influxum in scriptores humanos* s. scripturae (hagiographos) dicit, *per quem Deus* ipse s. scripturae *auctor* fit. — *Verbum Dei* vocatur omne *signum*, sive ore, sive scripto, sive alio modo prolatum, quod *ideam Dei manifestandam* exprimit. — Thesis nostra per *magisterium ordinarium* proposita, diversis occa-

sionibus etiam expresse declarata est a magisterio authentico, praesertim in *Conc. Trid. sess. 4* („utriusque testamenti Deus est auctor" *D 793*) et *Vat. sess. 3, de revel. can. 4* (si quis s. scripturae libros... pro sacris et canonicis non susceperit, aut eos divinitus inspiratos esse negaverit a. s.", *D 1809*).

47 ***Arg. primum, ex traditione.*** — Ss. PP. et alia documenta traditionis unanimiter affirmant a) s. scripturam *a Deo esse scriptam* („spiritus sanctus ea est *elocutus*" Clemens Alex., Cohort. 9, *MG 8, 194*; „canente atque *hortante Spiritu Sancto*", Cypr., de opere et eleemos. 4, *ML 4, 605*: cf. etiam Clemens Rom., ep. ad Cor. 45, *MG 1, 299*; Iustinus, Dial. cum Tryph. 33 ss, *MG 6, 546*; Basil., hom. in ps. 1. init, *MG 29, 210*; Greg. Nyss., c. Eunom. l. 7. *MG 45, 742*; Chrysost., hom. 2 in Gen 1, *MG 53, 28*; Ephr. Syrus, sermo de magis 1, *Lamy II, 394*; Hieron., in Mich. 7, 5, *ML 25, 1220*; Leo M., sermo 69, 3 *ML 54, 377*) — b) esse *inspiratam* („Omnis nostra scriptura *divinitus inspirata* utilisque ad doctrinam", Athanas., ep. 39, 2, *MG 27, 11*; „ex libro sacro sagina animam verbis *divinitus inspiratis*", Greg. Naz., carm. 35. *MG 37, 517*; cf. adhuc Orig., de princ. 4, 1 *MG 11, 342*; Hippol., c. Noëtum *MG 10, 319*; Basil., ad Eunomium l. 5, *MG 29, 722*; Gregor. Nyss., c. Eunom. l. 7, *MG 45, 742*; Cyr. Hieros., cat. 4, *MG 33, 494*; Cyr. Alex. in Is l. 3 t. 2 v 13, *MG 70, 655*; Ambros., de Spir. S. 3, 16, *ML 16, 803*; Hieron., ep. 52, 27, 1, *ML 22, 431*) — c) hagiographos ad modum *instrumentorum* sese habere („illi [hagiographi] scripserunt, quae ille ostendit et dixit... *membra* eius id operata sunt, quod *dictante capite* cognoverunt", August., de cons. evang. 1, 35, 54, *ML 34, 1070*; „quia scriptorem quaerimus, quid aliud agimus, nisi legentes litteras de *calamo* perscrutamur", Greg. M., in Iob., praef. 1 ss, *ML 75, 515 ss*; cf. etiam Hippol., De Christo et Anticristo 2, *MG 70, 727*; Greg. Nyss., c. Eun. l. 7, *MG 45, 742*; Ambros., in Lc 1, 3, *ML 15, 1534*; Hieron., ep. 120, 10, *ML 21, 997*) — d) quare scripturas merito *verbum Dei*,

sermonem Dei, *litteras Dei* vocant („Deus... quasi longe absentibus *litteras* mittit", Chrysost., hom. 2 in Gen 2, *MG 53, 27*; „Non adeo me hebetis fuisse cordis, et tam crassae rusticitatis... ut aliquid de *dominicis verbis*... corrigendum putaverim", Hier., ep. 27, 1, *ML 22, 431*; cf. insuper Aphraates, dem. 22; Ambros., enarr. in Ps. 1, 33, *ML 14, 940*; Aug., enarr. in Ps. 90 sermo 2, *ML 37, 1159*) — e) ex quo s. scripturae *maxima dignitas*, omnimoda veritas, irrefragabilis auctoritas sequitur („*veritatis plena* sunt omnia". Cyr. Alex., c. Iulian. 3, *MG 76, 631*; „quaecumque scripta sunt, *optime scripta* sunt", Aphraates, dem. 22; similiter Clem. Alex., Cohort. 9, *MG 8, 198*; Strom. 2, 2, *MG 8, 942*; Gregor. Naz., carm. 35, *MG 37, 517*; Leo M., ep. 82, 1, *ML 54, 918*) — f) tandem has omnes de auctoritate et inspiratione s. scripturae doctrinas *ad fidem pertinere* PP. aequivalenter vel etiam disserte docent („*auctoritatem scripturarum*... quae ab ipsius praesentiae Christi temporibus per *dispensationem apostolorum* et certas ab eorum sedibus successiones apostolorum usque ad haec tempora toto terrarum orbe *custodita*", Aug. c. Faust. l. 33 n. 9, *ML 42, 517*). Ergo omni possibili ratione inspirationem scripturae tamquam dogma fidei proponunt.

Arg. sec. et tert., ex scriptura. — Per se argu- 48
mentum ex s. scriptura pro inspiratione ipsius scripturae diversis modis confici posset; hic duplicem modum eligimus, scil. primo ex effatis Christi et apostolorum de dignitate et valore s. scripturae et modo quo citaverunt textus s. scripturae, deinde ex uno textu classico, quo inspiratio s. scripturae expresse affirmatur. Qua ratione in tali argumentatione circulus vitiosus vitetur, infra explicabitur.

Arg. secundum, ex modo loquendi Christi et 49
apostolorum necnon ex modo citandi s. scripturas. — A Christo Domino et apostolis a) Deus dicitur in scripturis loqui per hagiographos *tamquam auctor principalis* per instrumenta („Domine... qui Spiritu sancto *per os patris nostri David* pueri tui dixisti: quare fremuerunt gentes" Act 4, 25); b) vice versa *hagiographus* dicitur loqui *in Spiritu sancto*

(„Ipse enim *David dicit in Spiritu* sancto: Dixit Dominus Domino meo", Mc 12, 36); c) quae hagiographus dicit et scribit ea ut *a Deo dicta* exhibentur („*Dixit Deus* in quodam loco de die septima sic: et requievit Deus die septimo ab omnibus operibus suis", Hebr 4, 4), d) quae dicta sunt a Deo, *a scriptura dicta* esse affirmantur („*Providens* autem *scriptura... praenuntiavit* Abrahae quia benedicentur in te omnes gentes", Gal 3, 8). *Atqui* saltem si omnes isti modi loquendi de s. scriptura et citandi eam simul sumuntur, probant s. scripturam esse Deo auctore scriptam et inspiratam. Ergo.

50 ***Arg. tertium, ex 2 Tim. 3, 14.*** — S. Paulus Timotheum ad constantiam in fide monet ideoque etiam lectionem s. scripturae commendat eiusque excellentiam extollit. — *Scriptura*, γραφή, enim nomen est pro collectione s. librorum usitatum, vel etiam pro singulis scripturis vel scripturae textibus; agitur hic autem immediate de scripturis A. T. — Verbum θεόπνευστος in s. scriptura alio in loco non invenitur, in scriptoribus profanis aliquando adhibetur (a libris sybillinis, apud Plutarch., de plac. philos. 5, 2, in carmine Ps. Phokilidea a quodam Iudaeo Alexandrino saec. II. conscripto), et quidem saepius in significatione „a Deo inditus, inspiratus." — *Omnis*, πᾶσα, sine articulo generatim distributive accipitur = unaquaeque scriptura, sed absolute loquendo etiam collective sumi potest. (Ita ex philologis Blaas, Winer-Moulton). *„Inspirata"* ex Vulgata est attributum, sec. antiquas editiones latinas et multas graecas ut praedicatum esset sumendum (πᾶσα γραφή θεόπνευστος καὶ ὠφέλιμος), sensus tamen idem manet.

Sec. s. Paulum igitur tota s. scriptura, vel etiam unaquaeque pars scripturae θεόπνευστος dici debet. Atqui hoc idem est ac totam s. scripturam esse *a Deo inspiratam, auctore Deo conscriptam.* Ergo. — Ut *minor* probetur ostendendum est scripturam non dici θεόπνευστος solum *passive*, i. e. quia materialiter doctrinas Dei, doctrinas divinas continet (= „Spiritu Dei insignitus, Spiritum Dei spirans"), sed *active*, quia est originis divinae; quod autem probatur:

a) ex eo, quod *iam in usu profano* verbum θεόπνευστος de inspiratione adhibetur, b) ex eo, quod *omnis* scriptura non posset dici eo sensu inspirata, quod continet verbum Dei materialiter, *multa* enim *in se profana* in scriptura enarrantur, c) confirmatur ex eo, quod *ab ipso s. Paulo*, prout ex praecedente argumento constat, tales etiam textus s. scripturae Deo attribuuntur, qui materialiter verbum divinum non sunt.

Corollarium primum. — Utrum hac argumentatione etiam N. T. inspiratio probetur. — Quaeri potest, utrum argumentis s. scripturae solum inspiratio V T. librorum vel etiam s. scripturae N. T. comprobetur? — Certum est a) omnes textus, ex quibus argumentum desumitur, *immediate* tantum *scripturas V. T.*, quae Iudaeis praesto erant, respicere, b) si tamen *traditionis suffragium* in opem advocatur, argumenta ex s. scriptura petita facile ad omnes libros etiam N. T. extendere licet; iuxta traditionis doctrinam eadem est omnino auctoritas librorum N. T. cum iis, qui synagogae erant traditi; si ergo libri V. T. inspirati a Deo in scriptura affirmantur, haec inspiratio aequaliter de omnibus scripturis valebit. — Immo etiam ex ipsa scriptura (2 Pe 3, 15), ubi apostolus scripta s. Pauli simpliciter „scripturis" adnumerat, colligere licet saltem *epistulas s. Pauli* usque ad illud tempus conscriptas, eadem auctoritate atque alii libri s. scripturae gaudere, ideoque inspiratas esse. — Inspirationem libri *Apocalypsis* ex ipso libro probant, eo quod a) auctor ad mandatum scribendi a Deo acceptum provocat (Apoc 1, 10 ss), b) librum suum prophetiam vocat, quod nomen libris sacris tribuitur (22, 8), c) sine ira Dei nihil huic libro addi vel ab ipso demi posse affirmat (22, 18). 51

Corollarium secundum. — De argumento ex indole libri inspirati. — Ad quaestionem, utrum s. scripturae inspiratio ex ipso libro inspirato tamquam causa ex effectu cognosci possit, respondetur *negative* saltem eo sensu, quod indoles inspirationis *non necessario* in libro inspirato ita clare apparere debet, ut ad eius originem supernaturalem 52

illico concludere statim liceat. Alia de hac re inferius dicentur, ubi, de criteriis inspirationis (n. 115).

53 ***Corollarium tertium. — De argumento ex sensu typico.*** — Quaerunt etiam, an ex sensu typico, qui in aliquo libro sacro invenitur, liceat argumentari librum hunc esse inspiratum. — *Typi* vocantur illae in s. scriptura occurrentes personae vel res, quas Deus sua providentia ita disposuit, ut personas et res futuras significarent et praefigurarent. Typicus sensus igitur ille est, qui alicui narrationi s. scripturae eo inest, quod persona aut res, de qua narratur, aliquid futurum praefigurat. Dari tales typos in s. scriptura ex traditione, immo iam ex Christi et apostolorum affirmatione constat. Ex data definitione typi sequitur *solum Deum* posse esse *causam typi*, i. e. aliquam personam vel rem ut figuram futurae personae vel rei, hucusque ignotae, disponere. — Nihilominus *ex sola praesentia typi* in aliquo libro *non licet* adhuc *concludere* librum esse inspiratum, cum *etiam in libris profanis* narrationes de personis aut rebus futura praefigurantibus inveniri possunt. Cum tamen Christus et apostoli adducentes et explicantes typos s. scripturae, plerumque formula „scriptum est“ utuntur, quae de solis s. scripturae libris adhibetur, ex hoc modo loquendi ad inspirationem libri concludere licet.

54 ***Corollarium quartum. — Quo sensu inspiratio opus Spiritus Sancti.*** — Si inspiratio, ut ex testimoniis supra dictis elucet, Spiritui sancto attribuitur, hoc de *appropriatione* intelligendum est, nam actio inspirativa a Deo procedens utpote operatio Dei ad extra omnibus tribus personis est propria; recte autem inspiratio Spiritui sancto attribuitur, etenim sicuti Spiritus sanctus ex amore Patris et Filii tamquam amor subsistens procedit, ita etiam charismata supernaturalia, inter quae inspiratio invenitur, merito Spiritui sancto adscribuntur. — Patet etiam charisma inspirationis esse donum *gratis datum*, i. e. non per se personalem hagiographi sanctitatem et salutem spectans, sed in communem utilitatem ecclesiae ordinatum.

Obiectiones. — Plures difficultates *contra argumenta* a nobis proposita proponuntur: 1) Argumentum ex s. scriptura circulo vitioso videtur laborare. Aut enim sumitur scriptura ut documentum mere humanum et tunc nullum argumentum theologicum peti ex ea potest, aut sumitur ut liber inspiratus, et tunc manifesto circulus vitiosus adest. — 2) Item ex PP. argumentum confici non potest eo, quod vocem inspirationis saepe latiore sensu usurpant. — 3) Immo aliquando auctoritatem libri inspirati etiam quibusdam apocryphis attribuunt (liber 3 et 4 Esdrae; s. d. Assumptio Moysis; prophetia Eldad et Modad). — 4) Libros autem canonicos ipsos diversae esse auctoritatis affirmant. — 5) Insuper inspirationem per modum dictationis describunt vel hagiographos ut instrumenta inanimata considerant. Atqui in hoc certe exagerant et nimis probant. — *Praeterea* contra factum inspirationis ipsum obiciunt: 6) Occasio conscribendorum ss. librorum erat saepe mere accidentalis, velut petitio fidelium vel monitio danda, solatium praebendum, immo hagiographi ea conscribebant, quae aliunde naturaliter ex experientia vel testimonio sciebant. Atqui haec duo cum inspiratione non videntur posse componi. — 7) Finis inspirationis non potuit esse alius nisi ut homines de revelatione divina edocerentur. Atqui scriptura ex una parte non omnia, quae ad revelationem divinam pertinent, continet, ex alia parte plura, quae res fidei et morum non constituunt, in se complectitur. Ergo non est inspirata. — Difficultates, quae in falso conceptu revelationis fundantur vel contra thesim, qua omnes textus s. scripturae inspiratos esse probamus, proponuntur, vel ex apparentibus erroribus in s. scriptura petuntur, infra notabuntur. 55

Adnotatio. — Ad primam obiectionem solvendam prae oculis est habendum, *argumentum theologicum* ex s. scriptura posse *duplici modo* confici: aut ex verbis scripturae prout inspirata est et hoc modo auctoritate divina gaudet, aut ex verbis eorum, qui in scriptura ut legati divini vel divinae revelationis praecones authentici exhibentur ideoque ex auctoritate Dei loquuntur. Si argumentum hoc secundo modo proponitur, inspiratio s. scripturae non supponitur. 56

Quaestio secunda.

De natura vel indole inspirationis s. scripturae.

Cf. *Müller p. 241 — Pesch n. 615 ss. — Hurter n. 159 ss.*

57 ***Status quaestionis.*** — Ex omnibus testimoniis et argumentis, quibus in praecedentibus ipsa existentia inspirationis ss. librorum probata est, hoc unum saltem constat, *aliquem influxum ex parte Dei in hagiographum* admittendum esse, et quidem talem, ut vero aliquo sensu liber Deo attribui possit. In quo praecise iste influxus consistit, hucusque non demonstratum est. Sane, re a priori considerata diversimode talis inspiratio concipi posset. Ut rectum de inspiratione conceptum habeamus, primo *sententias falsas de indole inspirationis* refutabimus, deinde *positive* statuemus, in *quo inspiratio* consistit. Ex falsis opinionibus aliquae eiusmodi sunt, ut ne factum quidem inspirationis integrum maneat, si admittantur, aliae autem, licet ipsam inspirationis negationem non involvunt, tamen ex iis, quae nobis de natura inspirationis in positivis fontibus traduntur, ut falsae reiciendae sunt.

Thesis 9. Inspiratio falso explicatur ut singularis quaedam commotio religiosa, qua hagiographi correpti sensa sua et affectus religiosos litteris consignaverunt.

58 ***Adversarii et valor dogmaticus.*** — Hoc modo inspirationem concipiunt *protestantes* quidam *recentiores* et *modernistae.* Praeter protestantes s. d. criticos vel rationalistas, qui libros sacros eodem gradu ponunt ac alios libros mere profanos et ad summum hoc iis tribuunt, quod apti sunt ad bonos sensus excitandos, et praeter s. d. orthodoxos, qui libros sacros adhuc Deo ut causae efficienti proximae vel auctori attribuunt, licet de modo huius influxus conceptus vagos tantum habeant, alii multi pro-

testantes totam inspirationem ut mere subiectivam et personalem concipiunt, in quantum hagiographi sensa religiosa, quae in se experti sunt, deinde extasi quadam „inspirationi" poëticae simili correpti aliis communicare conati sunt. Talis inspirationis conceptus, qui insuper inspirationem ad solas res fidei et morum restringit, certe ne ipsum inspirationis factum quidem, prout ex testimoniis supra allatis nobis constat, salvat, et propterea *cum fide catholica aperte pugnat.* — Simili modo rem etiam modernistae concipiunt, licet verbotenus hanc inspirationem ita conceptam non ad solas res fidei, sed ad eas, quae per accidens revelatae in s. scriptura inveniuntur, extendunt. Cohaeret autem hic modernistarum conceptus de inspiratione cum falso de fide, quem habent conceptu; reicitur uterque error in enc. „*Pascendi*" (D 2090).

Arg. primum. — Ex eo quod Deus est scripturae auctor. — Ex supra allatis testimoniis *Deus per* inspirationem *auctor sacrorum librorum* evadit. Atqui in hac opinione nullo modo auctor dici potest. 59

Minor facile patet consideranti nullum esse in hac opinione locum alicui actioni speciali Dei, qua in libros sacros ita influeret, ut ipsi adscribi possent tamquam effectus causae.

Arg. secundum. — Ex comparatione ad alios libros. — Etenim non pauci *alii libri religiosi,* v. g. *Imitatio Christi* vel *Exercitia spiritualia* vel complura imprimis ss. PP. opera propter vividiora et vehementiora sensa religiosa in iis expressa aeque vel magis etiam apti sunt ad affectus religiosos in legentibus excitandos neque tamen inter inspiratos libros numerantur. 60

Thesis 10. **Non sufficit ad inspirationem, ut liber sine errore revelationem divinam contineat, neque inspiratio in sola negativa assistentia Dei absolvitur, qua scil. Deus providit, ne hagiographus errorem conscribat.**

Adversarii et valor. — Prima opinio est protestantis *H. Grotii* († 1645) et *Henr. Holden* († 1662) in 61

libro „Divinae fidei analysis“, sec. aliquos etiam *Chrisman O. S. Fr.* in „Regula fidei catholicae et collectio dogmatum credendorum“; sec. alios potius opinioni secundo loco assignatae adhaerebat. Expresse hanc secundam opinionem proposuit *M. Jahn.* († 1816).

Differt autem hic *secundus error* a primo eo praesertim quod negativam illam assistentiam aequaliter in *omnibus partibus scripturae,* etiam s. d. profanis vel per accidens revelatis ponit, dum prima sententia ad solas res fidei et morum in scriptura contentas eam restringere videtur; errat igitur prima opinio etiam circa *extensionem* inspirationis. — *Accessit* ad hunc errorem *Bonfrère S. I.* († 1652) in libro „Praeloquia in scripturam sacram“ 1625, qui putavit ad inspirationem quoad illas partes, quae veritates revelatas supernaturales continent vires humani intellectus excedentes, antecedentem Spiritus sancti motionem et revelationem requiri et sufficere, ad alias partes autem sufficere negativam assistentiam ad errorem praecavendum accedente tamen initio quadam generali inspiratione scribendi talem historiam vel pulchras gnomas ad vitam moresque bene componendos etc. — Omnes opiniones *falsae et erroneae* sunt, prima insuper in *Conc. Vatic.* (s. 3 cap. 2 de revel., D 1787) ut fidei catholicae directe opposita et haeretica declaratur.

63 ***Probatur prima pars. — Arg. primum ex eo, quod Deus est auctor s. scripturae.*** — Ex testimoniis PP., Conc., et theol. libri sacri dicuntur habere *Deum auctorem per inspirationem.* Atqui si solum propterea inspirati dicerentur, quia revelationem sine errore continent, non posset Deus dici eorum auctor.

Minor ostenditur a) quoad partes, quae *res fidei* et *morum non continent, Deus nullo modo auctor* dici posset, quia illae non possunt stricto sensu dici ad revelationem pertinere, b) sed neque quoad alias partes, nam ex eo quod aliqua ephemeris e. gr. *sermonem cuiusdam ministri* absque errore continet, nullatenus potest concludi ministrum

ipsum huius sermonis quatenus scriptus est vel etiam totius ephemeridis esse auctorem.

Arg. secundum. — ***Ex comparatione ad alia scripta.*** — Si ad rationem libri inspirati sufficeret, quod liber revelationem absque errore continet, etiam complura scripta *ss. Patrum,* decreta *conciliorum* oecumenicorum, infallibiles declarationes summorum pontificum merito inspirata dici possent. 63

Probatur secunda pars. — ***Arg. primum, ex eo quod Deus est auctor scripturae.*** — Ex doctrina catholica constat *Deum esse auctorem* s. scripturae per inspirationem et scripturam non materiale tantum, sed formale verbum Dei esse, quatenus scil. non solum obiectum vel veritas in scriptura contenta a Deo aliquando processit et nunc fideliter in scriptura consignatur, sed quatenus ipsum obiectum vel veritas ut scripta a Deo tamquam auctore procedit. Atqui in hypothesi inspirationis mere negativae neque Deus auctor esset s. scripturae neque scriptura esset formale verbum Dei. 64

Minor probatur ex eo, quod qui scribenti assistendo errorem praecavet bene quidem corrector, non tamen auctor scripti dicitur, et qui a loquente errorem avertit, non ipse sermonem proferre ut verbum suum formale dicitur. — Immo quia in scriptura *multa* sunt, quae hagiographo *neque a Deo revelata neque ex revelatione* aliis data *cognita* sunt, sed quae naturali cognitione acquisivit, quoad haec scriptura nec formaliter nec materialiter verbum Dei esset.

Arg. secundum. — ***Ex differrentia inter inspirationem et infallibilitatem.*** — Si ad inspirationem mera illa assistentia negativa sufficeret, *quaecunque definitio,* qua magisterium sub assistentia Spiritus sancti errorem praecaventis divinam revelationem conscribit, esset documentum inspiratum. Atqui hoc falsum est tum a) ex doctrina catholica de *essentiali discrimine* inter revelationem et inspirationem tum b) ex falso censectario: sequeretur enim *numerum* librorum *inspiratorum* continuo *augeri* posse. 65

66 ***Adnotatio.*** — Argumenta allata *etiam contra opinionem Bonfrère* applicari possunt. Nam ad hoc ut quis sit libri auctor et ut ipsi verbum scriptum tamquam verbum ipsius formale adscribi possit, neque sufficit, si antecedenter materiam, de qua scribendum est, proponit, neque si generali quodam modo, qualis generis liber sit conscribendus, indicat, ceteroquin omnia libertati scriptoris immediati relinquendo. (E. gr. si alicuius seminarii praeses titulum, argumentum in genere, fontes pensi scholari suo indicat.)

Thesis 11. Neque subsequens libri humanitus antea conscripti approbatio per Deum vel ecclesiam Spiritu sancto assistente facta eundem librum in ratione scripturae divinitus inspiratae constituit.

67 ***Adversarii et valor dogmaticus.*** — Secundum *Bonfrère* ad inspirationem etiam sufficeret, si quid humano spiritu absque Spiritus sancti ope, directione, assistentia a quopiam scriptore esset conscriptum, postea tamen Spiritus sanctus testaretur omnia, quae scripta sunt, vera esse. Neque tamen affirmavit Bonfrère aliquem ex libris canonicis de facto hoc modo inspiratum esse, sed rem ut meram hypothesim proposuit. — *Haneberg* († 1876, „Versuch einer Geschichte der biblischen Offenbarung" 1863) censuit aliquam scripturam viribus pure humanis ordinariis confectam eo fieri verbum Dei ac proinde etiam inspiratam, quod ab ecclesia approbetur et in canonem librorum sacrorum inseratur. — Utraque opinio *falsa et erronea est,* immo secunda ex *cap. 2. de revelatione conc. Vaticani* ut *doctrinae catholicae* directe *opposita* et propterea haeretica censeri debet (D 1787).

68 ***Probatur prima et secunda pars, ex eo quod Deus est auctor s. scripturae per inspirationem.*** — Ad hoc ut quis dici possit librum aliquem inspirasse, et ut liber ipse tamquam auctori vero aliquo sensu attribui possit, videtur ex *ipsa etymologia* verborum (inspirare,

auctor ab augere, efficere) aliqua actio antecedens illius, qui inspirat et qui auctor dicitur, esse necessaria. Atqui in opinione, quam refutamus, sola subsequens aliqua actio adesset, immo in secunda opinione nulla actio ex parte Dei, sed solum ex parte ecclesiae. Ergo.

Probatur secunda pars, ex falso consectario. 69 — Si subsequens ecclesiae approbatio aliquem librum in ratione libri inspirati constitueret, continuo in dies *augeretur* vel augeri posset *canon* scripturarum. Atqui ex constanti et perpetua ecclesiae fide canon scripturarum simul atque depositum fidei cum morte apostolorum clausus est. Ergo.

Obiectiones. (*C. omnes theses praecedentes* de indole inspiratio- 70 nis). — 1) SS. Patres et concilia de ipsa essentia inspirationis nihil proponunt. Ergo in hac re libertas relinquitur et quaecunque opinio eligi potest. — 2) Liber inspiratus idem est ac liber Spiritu sancto plenus. Atqui liber Spiritu sancto plenus dici potest et est, si revelationem sine errore continet, vel si Deus negativa assistentia providit, ne hagiographus in errorem incidat. — 3) Concilia saepius Patres deiloquos, divina inspiratione praeditos vocant, eosque Spiritu sancto dictante scripsisse dicunt. Atqui Patres certe negative solum per providentiam divinam custodiebantur, ne errores conscriberent. Ergo hic modus assistentiae etiam ad inspirationem s. scripturae sufficere videtur. — 4) Deus potest aliquod verbum ab homine prolatum suum facere et hominibus proponere ad credendum. Atqui hoc modo verbum illud prius mere humanum evadit verbum divinum. Ergo a pari potest liber ab homine conscriptus per subsequentem approbationem Dei evadere verbum Dei et liber a Deo inspiratus. — 5) Et sane, si rex decretum aliquod a ministro vel secretario exaratum deinde nomine suo signat et confirmat, decretum hoc merito ut a rege procedens et ut eius verbum habetur. — 6) De facto Spiritus sanctus dicta quorundam, puta Arati (Act 17, 28) vel Epimenidis (Tit 1, 12), per subsequentem approbationem scripturam sacram et inspiratam reddidit.

Adnotatio. — Ad illud quod ex comparatione ad 71 epistulam vel decretum per regem approbata obicitur, primum animadvertendum est approbationem hanc regiam non solummodo testari argumentum decreti verum esse, sed regem ea, quae in decreto ponuntur, sua facere. Neque tamen per hanc decreti confirmationem, qua regia auctoritas ipsi confertur, iam decretum formale verbum regis

evadit, nisi rex aut antea singula quae scribenda essent, determinaverit vel postea legendo decretum seu epistolam omnia ut suis propriis ideis et propositionibus omnino congrua cognoverit et hoc sensu confirmaverit; tunc autem non habetur iam nuda approbatio subsequens, sed vera inspiratio antecedens, saltem aequivalenter.

Thesis 12. **Inspiratio, qua Deus auctor scripturae est, tribus constituitur: illustratione intellectus, qua hagiographus veritates communicandas mente concepit, voluntatis motione, qua ad veritates ita conceptas easque solas scripto consignandas determinatus est, assistentia, qua ad rectam veritatum expressionem manuductus est.**

72 ***Praenotanda.*** — *Liber,* ut iam supra dictum est, secundum communem acceptionem est collectio quaedam iudiciorum vel sensorum scripto expressorum. *Quatuor elementa* in libro distingui possunt: *obiecta* vel sententiae (eventus, theoremata, consilia), *signa externa* (vocabula), quibus sententiae exprimuntur, *ordo*, quo res et verba disponuntur, (dispositio, constructio, stylus), *finis,* qui libro obtinendus praestitutus est. Ex quibus elementis ea essentialia vocantur, quae mutari nequeunt, quin liber protinus alius evadat, accidentalia, quae mutari possunt, quin liber hic idem liber esse desinat; communiter signa externa et etiam ordo ad accidentalia elementa pertinere censentur. — *Ut quis auctor* certi libri i. e. causa intellectualis sit, a qua liber procedit, necesse est, ut saltem ea omnia praestet, quae ad *essentialia elementa* libri pertinent, et si liber duos auctores habet, unum principalem, alium instrumentalem, oportet uterque suo modo praestet quae ad essentiam libri pertinent, ita tamen ut auctor instrumentalis vel secundarius ea non praestet nisi ex motione auctoris principalis.

Cum neque s. scriptura neque PP. expresse ipsam essentiam inspirationis tradant, *argumentum directum ex scriptura* vel traditione *peti non potest,* bene tamen potest

ex iis, quae documenta revelationis de inspiratione indicant, et ex iis, quae aliunde de conditionibus ad hoc, ut quis auctor libri alicuius dicatur, requisitis, nota sunt, sententia in thesis tenore proposita deduci. — Explicatio naturae inspirationis hic proposita *communis* est apud hodiernos theologos et pro ea stat authentica declaratio Leonis XIII. in encyclica „*Providentissimus Deus*“ (Cornely, Comp. Introd., Append. n. 31).

73 ***Arg. primum.— Ex eo, quod Deus est auctor s. scripturae per inspirationem.*** — Ex doctrina PP., conciliorum, scholasticorum *Deus debet dici auctor* s. scripturae *per inspirationem* hominum ut agentium instrumentalium. Tum Deus igitur ex sua parte, tum homines, qui sunt instrumenta, ea agere debent, quae auctor libri praestare debet, instrumenta tamen nonnisi ex motione auctoris principalis. Sed *ea, quae auctor libri praestare debet* sunt: ideam libri concipere et indicare, quae scribenda sunt, considerare, quomodo res componatur, voluntatem habere ea, quae concepta sunt scripto mandandi, hoc suum consilium exsecutioni mandare. Haec omnia igitur Deus per se, hagiographus ex motione Dei agere debet. Sed instrumentum rationale non potest haec omnia ex motione Dei praestare nisi Deus in haec omnia influat, i. e. intellectum *illustret,* ut ideam libri concipiat, quae scribenda et quomodo componenda sunt consideret, *voluntatem moveat*, ut conscribere concepta velit, deinde causae instrumentali *assistat,* ut omnia recte exprimat. Ergo motio Dei in scriptione librorum sacrorum, quae inspiratio vocatur, consistit in illustratione intellectus, qua hagiographus veritates communicandas mente concipit, voluntatis impulsu, qua ad veritates ita conceptas scripto consignandas determinetur, assistentia, qua ad veritates exprimendas manuducatur.

74 ***Arg. secundum, (ad confirmationem), ex s. scriptura.*** — S. scriptura triplicem hunc influxum Dei in hagiographos aliqualiter innuit, veluti illustrationem mentis eo, quod hagiographos prophetas vocat et eos libros suos ex visione divinitus immissa scripsisse dicit („*Visio*

quam lòcutus est vir etc." Prov 30, 1. „Quod *vides* scribe," Apoc 1, 10), motionem voluntatis („Non enim *humana voluntate* aliquando allata est prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt...", 2 Pe 1, 21), assistentiam in scribendo („verba, quae *misit* Dominus in Spiritu suo per manum prophetarum priorum." Zach 7, 12).

75 ***Corollarium primum. — An revelatio scribendorum requiratur.*** — Cum ad libri compositionem non conceptio idearum in se, sed earum *conceptio ut scribendarum* pertineat, ad inspirationem non requiritur, ut hagiographus per revelationem novarum rerum cognitionem vel etiam novas species impressas a Deo accipiat, sed sufficit, si ita illustretur, ut circa obiecta iam cognita ideam libri conscribendi et omnia et singula in eo scribenda concipiat. Etiam eas veritates, quae nonnisi ex revelatione divina cognosci possunt, hagiographus non necessario directe a Deo accipere debet, sed ab aliis, et quidem iam diu ante scriptionem libri discere potuit. Ipsi hagiographi testantur, se ex fontibus diversis et documentis materiam conscribendam hausisse, et diligenter omnia inquisivisse (1 Par 29, 29; 2 Machab 2, 24; Lc 1, 2, 3). Per illustrationem mentis, qua res quatenus scribendae concipiuntur, etiam efficitur, ut sine errore concipiantur, si forsan cognitioni hagiographi de his rebus habitae aliquis error immisceretur.

76 ***Corollarium secundum. — De illustratione mentis.*** — *Illustratio* mentis, de qua sermo erat, per se terminatur ad *iudicium practicum,* quo hagiographus iudicat certas res et sententias esse conscribendas. Cum tali iudicio practico exercite etiam habetur *iudicium theoreticum* quae conscribenda sunt esse vera. Immo saltem conveniens esse videtur, ut hagiographus etiam expresse iudicet ea vera esse, tum a) ut *harmonia* sit inter causam principalem et instrumentalem, tum b) ut hagiographus ea, quae scribit *plene cognoscat.* Neque tamen necesse est, ut tale iudicium theoreticum a Deo inspiretur hagiographo, quia hoc neque

ad rationem auctoris principalis libri requiritur neque ex ratione auctoris instrumentalis sequitur.

Corollarium tertium. — Discrimen inspirationis ab influxu gratiae actualis. — Cum inspiratio sit charisma supernaturale, differt certe a *concursu naturali,* cum sit gratia gratis data, differt a *communi gratiae* illustratione, insuper autem differt ab utroque hoc influxu etiam eo, quod per inspirationem hagiographus proprio modo instrumentum in manu Dei evadit. 77

Corollarium quartum. — De conscientia inspirationis in hagiographis. — Ex dictis *abalienatio mentis* in auctore inspirato certe non requiritur, ut etiam ss. PP. contra montanistas ostendunt (Hier., in Is praef., Basilius, in Is n. 5), immo neque de facto umquam Deus tali modo hominibus quasi instrumentis irrationalibus usus esse videtur, quia hoc Deo indignum esset. — Ex alia parte conscientia propriae inspirationis in auctoribus sacris non videtur absolute esse necessaria, neque a) *psychologice,* cum natura et proprietates praesertim supernaturales actuum ad obiectum conscientiae non pertineant, neque b) *ex interna ratione* inspirationis, cum homo instrumentum in manu Dei manere potest et finem inspirationis, i. e. infallibilem hominum instructionem de rebus inspiratis obtinere potest, quin sciat se esse a Deo motum. — *Non paucos* tamen ex s. scriptoribus *conscios sibi fuisse,* suae inspirationis, ex ss. paginis probari potest, (ita Moyses, Isaias, Ieremias alique prophetae, Ioannes in Apoc. etc) de aliis probabiliter affirmare licet, quia hoc magis dignitati hagiographi et rationi instrumenti rationalis respondet. 78

Corollarium quintum. — De influxu in voluntatem. — Cum praeter intellectus motionem in inspiratione influxus Dei in voluntatem requiratur, ut ipsa ad executionem iudicii practici moveatur, iam quaeritur, an talis motio ex parte Dei etiam in *alias potentias exsecutivas* hagiographi necessaria sit. Affirmandum videtur *immediatam* talem motionem in has potentias *necessariam non esse,* cum ipsae imperium voluntatis a Deo inspiratae sequantur. — In- 79

fluxus autem Dei in voluntatem potest ad analogiam influxus gratiae actualis esse tum *physicus* tum *moralis,* tum *immediatus* tum *mediatus* per media externa exercitus, ut per verba sensibiliter prolata, vel ministerium angelorum, immo potest Deus causas de se naturales determinata providentiae suae ordinatione ita dirigere, ut hagiographus efficaciter ad scribendum moveatur, puta preces fidelium, quibus ab hagiographo postulant, ut librum conscribat. — Per talem influxum *libertatem* hagiographi *non necessario laedi,* iam ex iis, quae de gratia et libero arbitrio in dogmatica probantur, constat, hagiographos autem *de facto* sub influxu huius inspirationis *liberos* mansisse tum ex eo, quod id dignitati instrumenti rationalis conveniens est, ostenditur, tum quoad complures libros s. scripturae ex ipsis hagiographorum affirmationibus id deducitur. (Cf. Lc 1, 1 ss; 2 Cor 7, 8; 2 Macch 15, 38).

80 ***Corollarium sextum. — De assistentia in scribendo.*** — Cum posita iam illustratione intellectus et motione voluntatis *accidere potest, ut scriptor* in ipsa scriptione *deficiat,* quatenus vel admisceat aliqua iis, quae a Deo inspirata sunt, vel haec ipsa ineptis vocabulis exprimat et sic in alienum sensum pervertat, tertio loco merito ad inspirationem assistentia requiri dicitur, qua Deus provideat, ut ea omnia eaque sola sine alteratione scribantur, quae ipse determinavit. Quae assistentia *non complectitur influxum divinum physicum et immediatum* in ipsam scriptionem materialem. Cum haec scriptio necessario ab ipso hagiographo perfici non debeat, (Ieremias usus est Baruch scriba, Paulus Romanis scribens Tertio), per se etiam mera *assistentia negativa* sufficit, et ex hac parte inspiratio assistentiae Spiritus sancti magisterio authentico ecclesiae praestitae aequiparatur.

81 ***Obiectiones.*** — 1) Contra nostrum *argumentum* principale obicitur: Potest aliquis esse verus auctor libri, quin librum inspiret. Ergo ex eo, quod Deus sit auctor libri sacri, non recte ad declarandum conceptum inspirationis proceditur, sed potius vera et solida argumentatio ita fit, ut conceptus „inspirationis" analysi subiciatur, qua ratione Deum esse auctorem libri sacri cognoscetur et simul etiam

sensus, quo auctor sit, apparebit. (Ita Zanecchia O. P. in opusculo „Scriptor sacer sub divina inspiratione iuxta sententiam Card. Franzelin" 1903). — 2) Si ideae libri et modus scribendi a Deo inspirantur et ipsa voluntas ad scribendum a Deo excitatur, iam hagiographi proprio sensu auctores librorum sacrorum dici nequeunt. — 3) Si vice versa hagiographi plerumque ea conscripserunt, quae iam antea, etiam naturaliter sciebant, ad sensum sacrorum librorum eruendum sufficiet ea considerare, quae hagiographi sentiebant, cum libros conscriberent, et circumstantias necnon eruditionem et scientiam temporis, quo vivebant. — 4) Omnia, quae in sacra scriptura inveniuntur fide divina sunt credenda. Atqui solum ea, quae revelata sunt, fide divina creduntur. Ergo omnia in sacra scriptura proposita revelata sunt. — 5) Per illustrationem intellectus hagiographus accipit a Deo ideam libri conscribendi et ex Dei motione concipit res ut scribendas. Atqui talem actum intellectus sponte sequitur etiam actus voluntatis, quo vult iudicia practica ex illustratione inspirativa in intellectu formata exsecutioni mandare. Nulla ergo nova motio in voluntatem videtur esse necessaria. — 6) Iste influxus Dei in voluntatem hagiographi aut esset moralis aut physicus. Si moralis, non satis intelligitur, quomodo hagiographus est instrumentum, si physicus, non videtur salvari libertas hagiographi. — 7) Admisso triplici influxu Dei modo descripto in hagiographum, iam non intelligitur, quomodo hagiographi aliquando nil aliud nisi epitomen libri non inspirati facere potuerint (2 Macch 2, 24), vel in scribendo libro „negotium plenum vigiliarum et sudoris assumpsisse" (2 Macch 2, 27). — 8) Saltem non eodem modo videtur inspirativus influxus in omnibus libris sacris se habere, cum ipsa ecclesia inter libros protocanonicos et deuterocanonicos distinguat.

Adnotatio. — Ad solvendam difficultatem primo loco propositam notandum est, argumentum nostrum *non procedere ex conceptu abstracto auctoris* libri, sed ex facto documentis revelationis fundato, sc. Deum esse auctorem, qui per inspirationem instrumentorum rationalium libros sacros confecit. 82

Quaestio tertia.

De extensione inspirationis.

Cf. *Müller p. 310 ss.* — *Pesch n. 626 ss.*

83 ***Status quaestionis.*** — In quaestione prima probatum est s. scripturam in genere esse inspiratam; quaestio autem oriri potest, *utrum omnia,* quae in scriptura ponuntur, *inspirata sint* et Spiritum sanctum auctorem habeant, vel aliqua hagiographis ut causis etiam principalibus tribuenda sint. Et cum in scriptura duo sint distinguenda, sententiae scil. et verba, quibus exprimuntur, quaestio ulterior magis determinata duplex erit: a) *utrum omnes sententiae* sint inspiratae, b) *utrum verborum inspiratio* sit affirmanda. — Si ipsae sententiae vel ipsa obiecta in s. scriptura proposita spectantur, non omnes eiusdem rationis et valoris in se sunt. Praeter res, quae *stricte ad fidem et mores* spectant vel quae immediate hominis relationem ad Deum suum finem respiciunt, aliae *s. d. profanae* in scriptura inveniuntur, quibus e. gr. historia mere naturalis, topographica vel geographica descriptio, genealogiae humanae etc. describuntur. Sicuti in rebus fidei et morum distingui potest inter mysteria et veritates religiosas, quae humanae rationi per se imperviae non sunt, ita in numero rerum s. d. profanarum aliae sunt, quae obiecto suo apprehenduntur *connexae cum rebus fidei* et morum (v. g. historia populi Israel in deserto, legislatio in Sinai), aliae, quae *nullam connexionem* cum hisce rebus habere videntur et mere *obiter dicta* vocari possunt (salutationes).

Praeter *haereticos antiquos,* qui potius contra catholicum canonem librorum sacrorum errabant, plures libros ex canone expungentes (Gnostici, Manichaei, Anomaei), *plures recentiores* restringebant inspirationem ad solas res fidei et morum. Ita *Holden, Fr. Lenormant* in praef. operis

„Les origines de l'histoire d'après la Bible" 1880, Aug. Rohling („Die Inspiration der Bibel und ihre Bedeutung für die freie Forschung" 1872), qui tamen ea facta in se naturalia inspirata esse concessit, quae necessarium fundamentum veritatum religiosarum constituunt. Ut probabilem eam opinionem iam *Erasmus* († 1536, in Mt 2, 27) admisit. Plures tamen ex asseclis huius opinionis etiam in rebus non inspiratis errorem excludebant (*Holden*). — Alii censuerunt saltem res obiter dictas vel minutas in s. scriptura ut non inspiratas posse haberi. Ita cardinalis *Henr. Newmann* („On the inspiration of Scripture" 1884), qui res obiter dictas definit „phrases, clausulas, sententias biblicas de materia puri facti, quae utpote non pertinentia ad fidem et mores sine violentia referri possunt ad humanum elementum in eius compositione." Concedebat Card. Newmann ex rebus s. d. profanis in s. scriptura inspirata esse: a) historiam sacram, exceptis minutissimis quibusdam, b) narrationes de miraculis aliisque eventibus supernaturalibus; item recusabat dicere scripturam non esse in omnibus partibus inspiratam, sed potius eam quidem plene et in omnibus partibus, non tamen sub omni respectu esse inspiratam.

Indirecte saltem alterutram ex his opinionibus ii tenentur profiteri, *qui possibilitatem erroris* in scriptura concedunt, quos tamen in sequenti quaestione afferemus. — Ex iis, qui inspirationem omnium, quae in scriptura inveniuntur, rerum, defendebant, *aliqui* insuper *ipsa verba* dictata fuisse a Spiritu sancto existimabant. Ita plures *protestantes* veteres (e. gr. *Turretinus* † 1737), et aliqui scholastici *Thomistae* (e. gr. *Bannez* † 1604, *Billuart* † 1757).

In sequentibus thesibus ostenditur, quidnam de extensione inspirationis quoad sententias et quoad verba tenendum sit; quaestio igitur non est, quinam libri ad canonem sacrum pertineant.

Thesis 13. Divina scripturae inspiratio ad omnes omnino sententias se extendit, adeo, ut quaelibet propositio a scriptura asserta verbum Dei formale scriptum sit.

84 ***Declaratio et valor dogmaticus.*** — Sensus propositionis est quoad inspirationem s. scripturae *nullum discrimen* fieri debere *inter diversas materias*, quae in s. scriptura tractantur, ergo ratione inspirationis omnes partes eodem modo esse ponendas, sive ad res fidei et morum sive ad s. d. profanas pertineant, et in his ultimis sive mere obiter dicta vocantur, sive cum rebus fidei et morum connexa. Quia tamen in s. scriptura sicuti in omni alio libro debent distingui ea, quae ab ipso auctore nomine proprio affirmantur et ea, quae ab auctore ut aliorum dicta citantur, aliquod discrimen intercedere putamus inter utramque affirmationum classem eo, quod *si aliqua citantur*, ea proprie eo solum sensu verbum Dei dici debent, quod *citatio a Deo procedit.*

Ex conc. Trid. (sess. IV. decr. de canon. scripturis, D 794) et *Vatic.* (sess. III. c. 2, D 1787) *integri libri cum omnibus suis partibus* pro sacris et canonicis sunt habendi propterea, quod Spiritu sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem. Cum autem magnae partes, immo integri libri inter canonicos inveniantur, qui neque revelatas, neque religiosas, neque cum revelatis et religiosis rebus connexas materias complectuntur, iam *reprobata* apparet *sententia eorum,* qui inspirationem *ad solas res fidei et morum* restringunt. Inspirationem ergo etiam ultra tales res sese extendere ut veritatem *fidei proximam* defendimus; eam praeterea omnia, etiam „dicta obiter" complecti ut *theologice certum* ponimus. Confirmatur haec ultima assertio ex authentico documento *Leonis XIII „Providentissimus"* („nefas fuerit inspirationem ad aliquas tantum s. scripturae partes coangustare", ap. Corn. o. c. n. 30, „Spiritus sanctus scriptoribus sacris... ita adstitit, ut ea omnia eaque sola, quae ipse iuberet... exprimerent", ibid. n. 31).

Arg. primum, ex modo quo Christus Dominus et apostoli scripturas allegant. — Christus Dominus et apostoli a) sub formula „scriptum est", et simili, qua auctoritas s. scripturae propria exprimitur, etiam *textus s. scripturae non dogmaticos* adducunt (Rom 4, 3; 1 Cor 10, 7; 1 Cor 9, 9; Gal 4, 30), b) verba ab hagiographo scripta, licet *de materia non revelata* agunt, Deo auctori attribuunt (Hebr. 12, 5), c) ex uno textu, licet non dogmatico, immo *ex uno verbo* argumentum theologicum construunt (Gal 3, 16; Hebr 12, 27), d) simpliciter totam scripturam usque ad apicem implendam esse dicunt (Mt 5, 17). Atqui hoc modo eandem auctoritatem quoscunque textus s. scripturae promiscue sumptos habere asserunt. Ergo. 85

Arg. secundum, ex doctrina ss. Patrum. — Ss. PP. a) ad difficultates reffellendas, quae ab adversariis contra auctoritatem s. scripturae ex apparentibus antilogiis proponuntur, *nunquam* ad hanc explicationem *recurrunt*, quasi *textus* de quo agitur, non *esset inspiratus*, b) positive singulos textus, etiam s. d. profanos et minimos *ab errore* defendunt (Ita praes. Aug., de consensu evang., Iustinus, Dial. cum Tryph.), c) in dictis s. scripturae etiam minimis plerumque *sensum profundum et mysticum* latere ostendunt, d) *expressis verbis* omnes s. scripturae sententias esse inspiratas docent. Atqui hoc modo indirecte et directe veritatem a nobis defensam proponunt. 86

Ad ultimam partem prop. *maioris* illustrandam cf. *Greg. Naz., orat. apol.* 2, 105, *MG 34, 503* („diligentiam Spiritus *usque ad apicem* et litteram extendimus"), *Theoph. Antioch., Ad Autol. l. 2 n. 30 MG 6, 1099* (Haec *omnia* [de genealogiis, inventione artium...] *docuit nos Spiritus sanctus*"), *Cyr. Alex., c. Julian. 3, MG 76, 631* („*Fabulosum* namque in scriptura prorsus *nihil*, veritatis plena sunt omnia").

Arg. tertium, (ad confirmationem), ex 2 Tim. 3, 15—17. — πᾶσα (sine articulo) communiter sumitur *distributive*, πᾶσα γραφή igitur = *unaquaeque* scriptura, omnis textus vel sententia scripturae; sed admittit etiam sensum *collectivum*, (cf. supra n. 50), praes. si agitur de nominibus, 87

quae habent determinationem individualem vel de obiectis, quorum unum tantum extat, quo sensu πᾶσα γραφή = tota scriptura (moraliter saltem universalitem sumendo. Cf. Mt 2, 3 πᾶσα Ἱεροσόλυμα). Unde argumentum conficitur:

Iuxta s. Paulum *aut unaquaeque* scriptura *aut tota scriptura* morali saltem universalitate sumpta θεόπνευστος vocatur. In primo casu omni sententiae inspiratio attribuitur, in secundo casu saltem excluditur integras partes, e. gr. non revelatas, s. d. profanas, inspiratione carere. Ergo.

88 ***Adnotatio.*** — Argumentum igitur in se solum spectatum nonnisi opinionem Holden, Lenormant etc. supra propositam excludit, sed si simul alii textus scripturae, de quibus in primo argumento sermo est, considerantur, vel si textus in luce traditionis spectatur, etiam directe thesim nostram confirmat.

89 ***Arg. quartum, (ad confirmationem), ex ratione theologica.*** — Si non admittitur omnes sententias s. scripturae esse inspiratas, iam auctoritas et *inspiratio s. scripturae totius in discrimen vocantur*. Atqui hoc admitti non potest.

Proposito *maior* probatur ex eo, quod norma diiudicandi, quinam textus sint inspirati quinam non, aut peteretur a) ex fontibus revelationis, aut b) relinqueretur arbitrio singulorum. Sed a) *fontes revelationis nullam normam* tradunt, b) *singulorum iudicia plane diversa* erunt et facillime iam unicuique quemcunque textum ut minus acceptabilem sub praetextu eum non esse inspiratum ex s. scriptura expungere licebit.

90 ***Corollarium. — De citationibus in scriptura et de expressione affectuum hagiographi.*** — Duae species sententiarum ab hagiographo prolatarum specialem mentionem merentur, scil. si verba ab aliis prolata in scriptura citantur, et si hagiographi affectus proprios exprimunt.

Quoad primam speciem assertionum s. scripturae dicendum est: Certum est *etiam citationes* vero sensu *inspiratas* esse, in quantum Deus s. scriptorem ad hoc in mente illustravit, ad hoc voluntatem eius movit et ad hoc ipsi in

scriptione adstitit, ut hanc citationem sec. voluntatem Dei integre scribat; *neque tamen verba citata possunt dici verba a Deo prolata*, verba formalia Dei, quare etiam per se errorem continere possunt.

Si quaeritur, an aliqua et qualis auctoritas et veritas talibus verbis per Spiritum sanctum eorum citationem inspirantem conferatur, haec notanda sunt: a) *ex sola citatione* per scripturam facta *veritas* verborum citatorum *nequaquam inferri potest*, b) verba aliorum, *quae* a scriptura implicite vel explicite *approbantur vera sunt*, et quidem eo sensu, quo approbantur, c) *si* longior aliquis sermo *generaliter* in scriptura approbatur, non *necessario omnia* et singula eius asserta *ut vera* affirmantur; d) quod in praecedentibus duobus punctis dictum est, proportionaliter *etiam de reprobatione* verborum citatorum valet, e) verba *legatorum* vel *praeconum* revelationis divinae in scriptura citata (angelorum, prophetarum, apostolorum) qua talium *infallibiter vera* sunt.

Quod *affectus* attinet, potest s. scriptor aut a) *testari, se* aliquem affectum in praeterito *habuisse* (Habac 3, 2), aut b) testari *se* in praesenti certum affectum *habere* (Rom 9, 1), aut c) aliquem *affectum actu exprimere* (Rom 1, 11; Rom 16, 19; Gal 3, 1). Omni in casu affectus vere sunt inspirati, in quantum Deus hagiographum movit, ut affectum exprimeret vel de affectu suo testaretur, neque tamen possunt Deo ut causae elicienti affectum tribui. In primo et secundo casu nil repugnat, quominus affectus, de quo hagiographus testatur, sit malus, in *tertio casu videtur hagiographus affectum malum exprimere non posse*; licet enim Deus non sit causa affectum eliciens, tamen movet s. scriptorem, ut affectum scripto exprimat, ideoque est causa affectus quatenus exprimitur.

Per has animadversiones iam difficultates aliquae praeoccupantur.

Obiectiones. — 1) Conc. Trid. videtur inspirationem in laudata 91
declaratione (sess. IV. D 783 ss) ad solas res fidei et morum restringere, tum a) quia scopus declarationis huius erat ponere firmum fundamentum ad dogmata in concilio tuenda et defendenda, tum b) quia

statim declarata inspiratione s. scripturae cum omnibus partibus prohibitio sequitur, ne quis in rebus *fidei et morum* s. scripturam contra auctoritatem ecclesiae explicet. — Deinde *contra nostrum argumentum ex citationibus* Christi et apostolorum quaedam obiciuntur: 2) Arg. hoc probat solum ea esse inspirata, quae a Christo et apostolis ut sententiae auctoritate scripturae praeditae citantur. Atqui pauci tantum textus ab iis citantur. — 3) Christus et apostoli citantes praedictos textus voluerunt solum significare, eos participare plus minus de auctoritate scripturae. — 4) Vel propterea textus singulos afferunt, ut dogma aliquod ex iis confirment. Eatenus igitur solum textus inspiratos habebant, quatenus eos ad textus dogmaticos pertinere censebant. — Contra *argumentum ex* PP. quaedam afferunt: 5) Ss. Patres saepius dictationem verbalem, vel inspirationem usque ad apicem docebant. Ergo etiam exaggeratio admitti potest, si inspirationem ad minimas etiam sententias extendunt. — 6) Immo aliqui Patres contrarium docere videntur. Ita Ambros., in Lc 8 n. 8 („propter fragilitatem humanam scripta sunt, non a Deo"), Greg. M. in Ezech l. 1, hom. 1 n. 6 („aliquando prophetae ex suo spiritu quaedam proferunt"), Aug., De Gen ad litt. l. 2 c. 9 n. 20 („Spiritus sanctus noluit ista [profana] docere homines"), Chrysost., in Act. Apost. c. 23 v. 6-8 hom. 49 n. 1 („Paulus humano modo loquitur, nec semper gratia fruitur"), Greg. M., in Ezech l. 1 n. 6 („aliquando prophetae quaedam ex suo spiritu proferunt"). — 6) In s. scriptura verba aliorum afferuntur et affectus hagiographorum proprii exprimuntur. Atqui neque verba aliorum neque affectus scriptoris sacri Deo ut verbum formale adscribi possunt, ideoque neque inspirata sunt. — 7) S. scriptores aliquando dubia vel ignorantiam exprimunt (Prov 30, 18, 1 Cor 1, 16). Atqui haec Deo ut auctori adscribi non possunt et propterea inspirata non sunt. — 8) Hagiographi saepe mandata et consilia propria a mandatis et consiliis Dei distincta proponunt (1 Cor 7, 12). Atqui talium mandatorum et consiliorum Deus auctor dici nequit. Ergo non sunt inspirata. — 9) S. scriptura aliquando in argumentationibus affert argumenta non certa, item ad textus scripturae provocat, qui in originali alio modo inveniuntur. — 10) Quidquid ad finem scripturae proprium non confert, non est inspiratum. Atqui illae sententiae, quae ad res fidei et morum non pertinent, non conferunt ad finem scripturae proprium. Finis enim scripturae nonnisi promotio aeternae salutis hominum supernaturalis esse potest. — 11) Si omnes s. scripturae sententiae essent inspiratae, tunc a) omnes ad depositum fidei pertinerent, b) de sensu omnium textuum magisterium ecclesiae positive iudicare posset. Atque neutrum obtinet. — 12) Et sane res s. d. profanae in s. scriptura aut necessariae sunt aut non. Si primum, integrae et immutabiles conservari debent, et ab ecclesiae magisterio pariter ac res fidei et morum custodiri; si secundum, iam non intelligitur, ad

quid inspirantur. — 13) Quae fide divina credenda sunt, eorum numerus non potest minui. Atqui numerus sententiarum s. scripturae per accidens revelatarum potest minui. Potest enim aliquis ex his textibus decursu temporis perire. — 14) Ipsi hagiographi permittunt, ut ea, quae scripserunt, a fidelibus diiudicentur (1 Cor 10, 15), vel dicunt etiam se aliqua insipientia scripsisse (2 Cor 11, 1).

Adnotatio. — Quod *argumentationes*, quibus s. scriptura utitur, attinet, dicendum s. scripturam posse uti etiam argumento mere probabili vel argumento ad hominem, item posse adhibere alios textus scripturae in sensu accommodato; si autem argumentum proponeretur a s. scriptura ex aliquo textu versionis cuiusdam, qui a sensu originalis essentialiter differret, non esset argumentatio scripturistica, sed ad hominem. 92

Thesis 14. Inspiratio stricte verbalis vel dictatio singulorum verborum non est admittenda; possunt tamen verba et constructiones vero aliquo sensu dici inspirata.

Praenotanda. — Conceptus et iudicia in libro aliquo contenta necessario debent quibusdam signis externis concretis exprimi, itaque *verba* et *constructiones* grammaticales aliquo modo ad ipsam substantiam libri pertinent; quia tamen eadem iudicia diversis verbis et constructionibus manente eodem sensu repraesentari possunt, verba haec materialia vel externa eatenus tantum ad essentiam libri pertinere censentur, quatenus debent talia verba necessario eligi, quae sententias propositas apte exprimant. Quare *omnes concedunt Deum aliquem influxum etiam in verborum electionem* habuisse; sententia communior tamen dicit, illum influxum nonnisi *negativum* fuisse, in quantum hagiographus quidem in genere quoad vocabula et constructiones liber fuit, sed Deus providit, ne inepta verba eligerentur, exceptis forsitan quibusdam veritatibus supernaturalibus, in quibus tradendis s. scriptori etiam ipsa verba in concreto proposuit. 93

E contra censent alii haec certa verba et constructiones prout in originali inveniuntur ex intentione Spiritus sancti in concreto adhibita fuisse; quomodo tamen hoc Deus ob-

tinuerit, alii alio modo explicant, provocantes ad *revelationem Dei* (ita protestantes veteres), vel *operationem Dei in phantasiam* scriptoris (plures Thomistae), vel in *genere solum aliquem influxum* Dei indicantes (Zannecchia, Card. Billot), *positivum* tamen influxum Dei in hagiographum hac in re omnes admittunt.

In prima parte directe ea sententia, quae dictationem verborum proprie dictam i. e. aut per revelationem aut per phantasmatum immissionem docet, refutatur, in secunda parte affirmatur posse nihilominus in quacumque sententia aliquo vero sensu dici verba materialia esse inspirata.

94 ***Probatur prima pars.— Arg. primum, ex defectu sufficientium rationum huius sententiae.*** — Nam talem verborum inspirationem neque postulat a) *finis inspirationis*, cum Deus finem suum aequaliter obtineat, dummodo sententiae propositae in s. scriptura aptis verbis exprimantur, *neque* b) *sequitur* talis modus inspirationis ex *eo, quod Deus auctor* totius scripturae est, cum Deus auctor maneat, etiamsi verba in concreto non dictaverit, neque c) *ullo certo argumento* ex scriptura vel traditione fulcitur talis explicatio, ut in solutione difficultatum apparebit.

95 ***Arg. secundum, ex diversitate locutionis diversorum hagiographorum.*** — Singulos libros s. scripturae a diversis auctoribus conscriptos *ratione styli et elocutionis ab invicem differre* notum est, item diversae in diversis libris imperfectiones styli et elocutionis manifestae sunt. Atqui haec omnia vix quidem explicari possunt, si dictatio verborum vel inspiratio stricte verbalis admittitur.

96 ***Adnotatio.*** — Per argumenta allata *directe eorum opinio* refutata est, qui inspirationem verbalem *per propriam dictationem* explicant, eo quod Deus verba materialia revelaverit vel verborum phantasmata in phantasiam immiserit. Quaeri nunc potest, utrum eo ipso etiam alia sententia refutata sit, secundum quam verba determinata in concreto quidem ex voluntate Spiritus sancti eligenda erant, quin tamen Deus ea revelaverit vel in phantasiam vocabulorum phantasmata immiserit, ita hagiographum sua motione *po-*

ALMA COLLEGE LIBRARY

sitive dirigens ut verba, quae Deus vellet, eligeret. Quam sententiam ab opinione dictationis refutata differre tum fautores eius affirmant (Card. Billot, De inspiratione sacrae scripturae 60 ss), tum etiam alii concedunt (Pesch, De inspiratione sacrae scripturae p. 478); et merito id quidem concedendum esse videtur, cum praeter dictationem verbalem alius influxus Dei in scriptorem, ut certa verba adhibeat, concipi potest.

Propterea neque omnia argumenta, quae contra dictationem verbalem adhibentur, aequaliter contra hanc explicationem urgeri possunt. Nihilominus argumenta duo a nobis adducta etiam contra hanc explicationem aliquatenus applicari possunt. Neque enim videtur sufficiens ratio affirmandi verba in concreto a Deo in scriptura electa fuisse, neque in tali suppositione diversitatis elocutionis et imperfectionum styli sufficiens ratio redditur. — At contra *duo argumenta* proponi possent, *quae talem* verborum *inspirationem confirmare videntur:* a) Deus inspirando singulas sententias aut inspirat conceptus solum *quoad substantiam sensus* aut etiam *quoad modalitatem expressionis.* Si primum, dicendum esset eum sensum sententiarum quidem, non tamen ipsas sententias in concreto inspirasse, si secundum, iam ipsas diversas dictiones inspirasse Deus dicendus est, cum diversae modalitati conceptuum etiam diversitas expressionis vel dictionis respondeat. b) *Tota scriptura*, prout in originali exstat, debet *a Deo ut a causa principali*, ab hagiographo ut a causa instrumentali procedere. Ad totam scripturam autem etiam verba pertinent; ad ea igitur etiam influxus causae principalis sese extendere debet, qui tamen influxus ex ipsa ratione causae principalis et instrumentalis positivus sit oportet. — Ad quae tamen adhuc responderi posset: a) Etiam manente eadem modalitate conceptuum adhuc diversitas verborum adesse potest (dantur e. gr. vocabula synonyma). Deinde videtur asseri posse *Deum manere auctorem* singularum sententiarum, *etiamsi solum sensus substantiam*, non modalitatem conceptuum inspiraverit. b) Ad *essentiam* libri non *pertinent verba in concreto*, sed sufficit,

si sententiae ab auctore principali apte exprimantur. Deinde *aliquem influxum positivum* causae principalis in causam instrumentalem adesse debere concedendum est, sed utrum in omnibus positivus influxus necessarius sit, hoc praecise in quaestione est.

97 ***Probatur secunda pars.*** — Ex praecedentibus constat a) *totam* scripturam vero sensu Deo attribuendam esse, b) Deum *etiam in verba* eatenus influxum exercuisse, ut apta verba eligerentur. Atqui hoc videtur sufficere, ut etiam verba Dei inspirationi aliquo vero sensu attribuantur. Licet enim inspiratio non amplius sustineri posset, si totus influxus Dei ex omni parte mere negativus esset, tamen admisso positivo influxu in conceptus, iam ipsa verba conceptibus respondentia aliquo vero sensu inspirata recte dicuntur, licet in verborum formatione nullus amplius positivus Dei motus adesse affirmetur.

98 ***Obiectiones.*** — *Contra argumenta* primae partis obici posset: — 1) Inspiratio stricte verbalis fundatur a) in doctrina scripturae, quae ipsa verba in concreto Deo attribuit (e. g. Ierem 36, 18 „factus est sermo Domini ad me dicens: ego ero in ore tuo," cf. Ps 44, 1), b) in testimoniis ss. Patrum, qui saepe dicunt verba a Spiritu sancto dictata fuisse („ne syllabae quidem praetercundae, nam omnia sunt a Spiritu sancto," Chrys., In Genes hom. 15 n. 1; „Non tam crassae sum rusticitatis... ut aliquid de dominicis verbis aut corrigendum putaverim aut non divinitus inspiratum," (Hieron., ep. 27 ad Marcell.) — 3) Ad explicandam diversitatem styli et ipsos defectus elocutionis sufficit, ut Deus in dictandis verbis singulis sese indoli et eruditioni scriptoris sacri accommodet. — 4) Et sane, ipse concipiendi modus vel argumentandi ratio s. scripturae modum humanum sapit. — Insuper obiciunt: 5) Scriptura verbum Dei scriptum dicitur. Atqui si ipsa verba a Deo non procedunt, non posset dici verbum Dei scriptum, sed potius collectio sententiarum a Deo inspiratarum verbis humanis expressarum. — 6) Una eademque sententia non videtur apte exprimi posse nisi certis et determinatis verbis. — 7) Si ipsa verba in concreto a Deo non procedunt, etiam versiones fideles, e. gr. Vulgata, inspiratae dici deberent. — 8) Inspiratio datur ad sententias ut scribendas. Atqui non daretur ad sententias ut scribendas, si verba non complecteretur. — 9) Et certe hagiographus in omni actione, quae ad scribendum sacrum librum exercetur, a Deo ut instrumentum dependere debet. — Deinde contra secundam partem thesis posset

inferri: 10) Si Deus quoad sententias mere negative influeret, sententiae non possent vero aliquo sensu inspiratae dici. Ergo stante solo negativo influxu Dei in verba haec inspirata dici nequeunt.

Quaestio quarta.

De inerrantia s. scripturae.

Cf. *Müller p. 392 ss.* — *Dorsch p. 278 ss.* — *Egger n. 224 ss.* — Insuper praeter libros ad praecedentes quaestiones citatos praesertim: *L. Fonck,* Der Kampf um die Wahrheit der heil. Schrift seit 25 Jahren, Innsbruck 1905 — *Egger,* Absolute oder relative Wahrheit der heil. Schrift, Brixen, 1909 — *A. J. Delattre,* Auture de la question biblique, Liège 1904 — *L. Murillo,* Critica y exegesis, Madrid 1905 — *S. Schiffini,* Divinitas scripturarum adversus hodiernas novitates asserta et vindicata. Augustae Taurinorum 1905 — *L. Hugo,* Katholische Exegese unter falscher Flagge. Regensburg, 1906 — *A. Meyenberg,* Ist die Bibel inspiriert? Luzern 1907 — Zfk Th 1906 p. 57 ss. — 1907 p. 401 ss., 750 ss. — 1913 p. 699 ss.

Status quaestionis. — Cum s. scriptura sit formale 99
verbum Dei, ei imprimis *veritas moralis* vel *veracitas* tribuenda est, in quantum nullum mendacium continere potest. Deinde etiam *veritas logica* vel *inerrantia*, in quantum omnia, quae proferuntur, cum ordine obiectivo conformia sunt, et omnis error etiam inculpatus (ex ignorantia, inadvertentia ortus) excluditur. — Quicunque scripturam non eodem plane gradu ponunt sicuti libros profanos, etiam ab omni spiritu mendacii alienam eam esse censent. Posse tamen in scriptura errores inveniri, decursu temporis aliqui docebant. *Protestantes veteres* inerrantiam s. scripturae concedebant, *recentiores* autem praeter paucos orthodoxos possibilitatem erroris alii, alii etiam errores de facto sive in rebus profanis, sive etiam in rebus fidei et morum admittunt. Ex *catholicis* temporis recentioris quidam plus minus aperte docebant possibilitatem vel factum erroris in rebus s. d. profanis, saltem „obiter dictis." Postquam haec opinio per encyclicam „*Providentissimus*" exclusa est, nemo inter catholicos expresse eam proponit. Sunt autem inter exegetas recentes aliqui,

qui inter absolutam et relativam veritatem distinguentes secundam quidem s. scripturae in omnibus partibus et textibus s. scripturae tribuunt, primam autem aliquibus partibus deesse contendunt. — Sequenti thesi contra protestantes et illos priores catholicos auctores omnimodam inerrantiam sacrae scripturae in singulis textibus statuemus, deinde alia thesi ostendemus, utrum haec inerrantia cum iis, quae a recentioribus de relativa veritate s. scripturae statuuntur, componi possit.

Thesis 15. Sacra scriptura ab omni errore immunis est.

100 ***Adversarii et valor dogmaticus.*** — Praeter protestantes et modernistas, qui promiscue in ss. litteris errores inveniri dicunt, complures recentiores ex catholicis putabant errores in s. scriptura inveniri posse, v. g. *Salvatore di Bartolo* (Criteri teologici 1888), qui diversos gradus inspirationis in diversis partibus scripturae distinguebat, minimum autem gradum censuit non reddere nos certos de infallibilitate cooperationis humanae, *Fr. Lenormant* († 1883), qui inspirationem ad res fidei et morum restrinxit, in rebus profanis errores inveniri censebat. Inspirationem non necessario omnibus auctoris inspirati dictis infallibilitatem conferre ut probabilem opinionem etiam *D'Hulst* († 1896 La question biblique 1893) concedit, *Bonaccorsi* autem (Questioni bibliche) de facto nullum errorem in scriptura inveniri, sed a priori non repugnare, ut in textibus profanis non obstante inspiratione obiectivus error inveniatur, dicit.

Omnes tales opiniones authentice reiectae sunt per encyclicam „*Providentissimus*“ („scriptura per se ipsa non modo errorem excludit, sed tam necessario excludit et respuit, quam necessarium est Deum, summam veritatem, nullius omnino erroris auctorem esse“, ap. Corn. n. 30). Ceterum iam prius *Ioannes XXII* sententiam aliquam ideo proclamavit haereticam, quia factis in scriptura enarratis inventa est contraria (D 494). Doctrina modernistarum de erroribus in s. scriptura damnata est decreto „*Lamentabili*“ *prop. 11* (D 2011) et encycl. „*Pascendi*“ (D 2102). Doctrina autem

magisterii authentici universalis hac in re ita clara est, ut veritatem in thesi propositam, quantum ad res fidei et morum extenditur, ut *doctrinam fidei*, quantum ad res profanas spectat, ut *fidei proximam* statuere possimus.

Arg. primum. — Ex citationibus s. scripturae a Christo Domino et apostolis factis. — Christus Dominus et apostoli a) *ex singulis textibus* s. scripturae promiscue *argumenta irrefragabilia* petunt (Mt 15, 4; Mt 22 31); b) *omnes textus* promiscue, sive dogmaticos sive profanos *ceros* esse dicunt (1 Cor 9, 9 Jac 2, 23), c) toti scripturae simpliciter *summam auctoritatem* attribuunt (Mt 5, 18). Atqui hoc modo omnes textus sine discrimine ab errore immunes esse supponunt et statuunt. Ergo. 101

Minor autem probatur tum a) ex eo, quod *nulla ratione* existente, *cur auctoritas* et veritas ad hos paucos textus a Christo et apostolis expresse allegatos *restringatur*, ea omnibus sine discrimine textibus attribuenda est, tum b) ex eo, quod *ratio, cur haec auctoritas* et veritas textibus s. scripturae a Christo et apostolis attribuatur, *est inspiratio* s. scripturae, quae ex doctrina Christi et apostolorum ad omnes textus sese extendit.

Arg. secundum. — Ex unanimi consensu ss. Patrum et theologorum scholasticorum. — Ss. Patres enim a) practice immunitatem s. scripturae ab errore docent, in quantum *numquam*, ut ex difficultate aliqua proposita sese extricarent, ad hoc *confugiunt*, ut asserant *textum*, de quo agitur, *errorem forsitan continere*, et omnes apparentes antilogias conciliare inter se student (S. Aug., de consensu evang.; Chrys., in homiliis passim, et alii); b) theoretice non solum *omne mendacium* a scriptura excludunt („*nihil* omnino *mentitur* scriptura", *Hippol., comm. in Dan l. 4 c. 6*), sed et omnem errorem et contradictionem („primum te scire volumus, omnem sanctam scripturam *non posse esse sibi contrariam*", *Hieron., ep. 46 n. 6*); propterea eas simpliciter veras et perfectas vocant („scripturae quidem *perfectae* sunt", *Ir. II, 28, 2*) et omnia, quae in ipsis continentur, fide divina credenda esse affirmant; c) hanc 102

autem de scripturae inerrantia doctrinam *ut fide tenendam* expresse aut aequivalenter proponunt („manifestus *a fide lapsus est* ac superbiae crimen, si quis quidquam eorum, quae scripta sunt, reprobet", Basil., de fide n. 1). — Inter theologos scholasticos autem nullus est, qui non doceat omnimodam immunitatem s. scripturae ab errore. Exemplo sint ex theologis medii aevi *S. Thomas* (de pot. qu. 4 a. 1 „scripturae *non potest subesse falsum*"), *s. Bonaventura* (Brevil. Prol. 4 et 5. „Spiritus sanctus *nihil poterat dicere falsum*"), ex theologis posterioribus *Canus*, de locis theol. l. 2 c. 18 („nullus ex apostolis, prophetis, evangelistis nec in magnis *nec in parvis erravit*"), *Bellarm.* de concil. l. 2 c. 12 („in scriptura *nullus* potest esse *error*").

103 ***Arg. tertium, (ad confirmationem), ex ratione theologica.*** — Si in aliquibus error in s. scriptura concederetur, iam *tota s. scripturae auctoritas* in discrimen vocaretur. Atqui hoc admitti nequit. Ergo.

Ratio affirmationis in prop. *maiore* contentae est, quod nec minimum fundamentum datur, secundum quod distingui possent textus, qui nullum errorem continere possunt ab iis, qui erronei esse possunt; ergo admisso in aliquo textu s. scripturae errore, iam unicuique liceret hanc scripturae defectibilitatem ad quoscunque textus extendere.

104 ***Obiectiones.*** — 1) Ss. Patres propterea numquam in difficultatibus contra sacram scripturam solvendis ad hoc refugerunt aliquem textum erroneum esse, quia ipsis gravissimae difficultates, quas recentiores ex historia religionum faciunt, ignotae erant. Ergo ipsorum testimonium utpote in ignorantia fundatum non praebet hac in re certum argumentum. — 2) Ss. Patres aliquando expresse docent posse in s. scriptura errores inveniri, nam censent a) res profanas in scriptura a Spirito sancto non doceri (Aug., De Genesi ad litt. l. 2 c. 9 n. 20), b) evangelistam lapsum memoriae passum esse (Aug., de consensu evang. l. 3 c. 7 n. 28) c) hagiographos non verba et syllabas aucupari, sed sententias dogmatum ponere (Hier., ep. 57 ad Pammach.), d) evangelistas inter se dissentire (Chrys., in Mt hom. 1). — 3) S. scriptura a PP. et theologis apte comparatur ad ipsum Verbum incarnatum. Atqui Verbum incarnatum etiam defectus humanos assumpsit. Ergo a pari. — 4) Saltem in rebus, quae ad fidem et mores non pertinent, error videtur admittendus. Ipsa enim ecclesia, licet infallibilitate praedita sit, in rebus profanis errare potest. — 5) Neque

intelligitur, ad quid Deus hagiographum in his rebus ab errore praeservaverit, cum hae res ad instructionem religiosam sine utilitate sint. — 6) Praesertim cum ipsa versio latina Vulgata, quae ab ecclesia authentica declarata est, in textibus profanis mendis non caret. — 7) Deinde ad hoc, ut hagiographus in conscribendis rebus profanis s. scripturae ab errore praeservaretur, scientia eius miraculoso modo elevari debuisset, immo series miraculorum in ordine ad scribendum esset supponenda. — 8) In causa instrumentali omnes eius proprietates naturales servari debent. Atqui possibilitas errandi est aliqua proprietas naturalis hagiographi. — 9) De facto in s. scriptura reperiuntur errores contra certas conclusiones scientificas, ut in primis capitibus Genesis contra geologiam, chronologia s. scripturae cum chronologia aliorum fontium genuinorum non concordat, apertae etiam contradictiones in diversis textibus s. scripturae observantur, ut inter 2 Macch 1, 14 et 2 Macch 9, 28, inter Gen 11, 12 et Lc 3, 36, inter 1 Reg 17, 55 et 1 Reg 16, 21 et alibi. — 10) Videtur etiam diversus gradus inspirationis admittendus esse in rebus fidei et morum et in s. d. profanis, cum illae priores per se intenduntur, illae posteriores per accidens. Sed ex diverso gradu inspirationis etiam diversa veritas sequitur.

Thesis 16. Inerrantia s. scripturae modo demonstrata in recentibus opinionibus s. d. scholae largioris salvari non videtur.

Declaratio. — Crescentibus in dies difficultatibus, 105
quae praesertim recentiore tempore contra historicos libros s. scripturae proponuntur, theologi quidam cogitare coeperunt, utrum non posset *aliquod principium generale* inveniri, quo talibus difficultatibus via praecluderetur, quin esset in singulis casibus necesse ad singula facta examinanda recurrere. Quod principium in applicatione adagii per se veri: non omnia in scriptura eandem veritatem habere se invenisse putant. Axioma hoc per se verum est, cum e. gr. propositio: Verbum caro factum est, et illa alia: sol occidit, item parabola de Lazaro, et enarratio passionis Christi diversum gradum veritatis habent. Hoc generali axiomate supposito iam ulterius concludebant: a) potest inveniri in scriptura *error mere materialis*, non tamen formalis. *Formalis* error tunc habetur, si illud, quod falsum verbis materialiter sumptis est, ut verum pro-

ponitur, si e. gr. parabola ut vera historia, vel locutio metaphorica in sensu stricte verbali intelligenda proponeretur: error mere *materialis* habetur, si verba pure materialiter sumpta erroneum quid dicunt. non tamen in hoc erroneo sensu proponuntur; b) nil prohibet, quominus in scriptura *narrationes fictae*, historiae *quoad substantiam solum verae*, quoad accidentalia poëtice exornatae etc. inveniantur, dummodo non ea intentione et scopo proponuntur, ut pro vera historia habeantur; c) immo cum tempore, quo hagiographi scribebant, non adhuc in usu erat historiam stricte sumptam et criticae arti respondentem scribere, sed potius *historiam quandam liberam* vel *popularem* vel *traditiones populares* vel historiam religiosam ad aedificationem proponere, in quibus substantia quidem vera est, sed accidentalia aut poëtice exornata, aut exaggerata aut ad scopum religiosum adaptata sunt, iam concludere licet, omnes huiusmodi formas litterarias inter ss. libros de facto inveniri posse; d) idem mos temporum secum ferebat, ut auctores quaedam ex aliis scriptis non expresso nomine fontis citarent, quin tamen voluerint per talem *citationem implicitam* omnia sua facere et ut vera approbare, quae ab ipsis citantur. — Qua ratione censent inerrantiam totius s. scripturae, quam praesertim post encyclicam „Providentissimus“ in dubium amplius vocare non licet, salvari, et tamen concedi posse, in libris sacris quaedam contineri, quae certis factis historicis contradicunt; error enim materialis tantum est.

Opinioni huic, quam etiam „scholae largioris“ exegeticae vocant, plus minus adhaeserunt: *M. J. Lagrange, O. P.* La méthode historique sourtout a propos de l'ancien Testament, Parisii 1904 — *Fr. v. Hummelauer S. J.*, Exegetisches zur Inspirationsfrage, Freiburg 1904 — *D. Zanecchia O. P.*, Scriptor sacer sub divina inspiratione, Romae 1903 — *N. Peters*, Die grundsätzliche Stellung der kathol. Kirche zur Bibelforschung, Paderborn 1905 — *C. Holzhey*, Schöpfung, Bibel und Inspiration, Stuttgart 1902.

A magisterio authentico ecclesiae haec opinio *expresse condemnata non est*. complures tamen prodierunt declarationes authenticae maxime a commissione biblica editae, quibus sententia haec saltem valde restringitur et in pluribus ut erronea reicitur. Characterem historicum s. scripturae in genere decernit decretum *commissionis biblicae* ex 23 Junii 1905 (*Revue biblique 1905, 321*), in specie autem declaratur character historicus priorum trium capitum Genesis 30 Junii 1909 (*A. Apost. Sedis 1909, 567 ss.*), historica veritas evangelii sec. Matthaeum 19 Junii 1911 (*A. Apost. Sedis 1911, 294 ss.*); principium de citationibus implicitis saltem valde restringitur, si non penitus reicitur, per decretum ex 13 Febr. 1905 (*Acta S. Sedis, 1905, 666*).

Thesim primo positive demonstramus, deinde refutando principalia argumenta adversariorum.

Thesis positive demonstratur. — Arg. primum. — Ex modo quo Christus Dominus et apostoli libros sacros citant. — Christus Dominus et apostoli citantes *praecise eos libros, quos schola largior censet esse historiam liberam, traditiones populares* etc. facta ibi narrata promiscue ut vera facta historica allegant. Atqui ex hoc sequitur Christum et apostolos hos libros ut historiam strictam et quoad omnia veram considerasse. 106

Propositio *maior* ostenditur pluribus textibus N. T. Huc pertinent: Mt 12, 40 (Ionas in ventre ceti), Lc 4, 25 (vidua Sareptae Sidoniae), 1 Cor 10 (populus Israel in deserto), Hebr 11 (series factorum ex historia Israel). Iac 2, 25 (Rahab), 1 Pe 3, 20 (numerus salvatorum in arca Noë). 2 Pe 2, 4 ss (diluvium, Sodoma et Gomorrha). Iud 7 ss. (Sodoma et Gomorrha, Cain, Balaam, Core).

Arg. secundum. — Ex consensu Patrum et theologorum. — Sacram scripturam posse continere etiam quandam historiam liberam, narrationes quoad substantiam veras, sed ad scopum aedificationis religiosae in accidentalibus exornatas etc. absolute loquendo non repugnaret, sed scripturam de facto quoad aliquas partes, quae legenti ut narrationes stricte historicae apparent, hoc sensu 107

esse accipiendam non potest nisi ex persuasione et doctrina traditionis constare. Atqui *ss. PP. et theologi* non solum numquam talem modum scripturam intelligendi et explicandi proponunt, sed viceversa *libros* omnes de factis narrantes *ut vere historicos* stricto sensu considerant.

Prima pars minoris ab ipsis asseclis scholae largioris conceditur, cum opinionem suam novam esse dicunt, secunda pars probatur: a) PP. et theologi citantes ss. scripturas eodem modo ac de Christo et apostolis diximus *omnia facta narrata* promiscue ut facta *vere* historica allegant. (Ita Iren. III, 23, 3 *MG 7, 948* de factis in primis tribus capitibus Genes. narratis, Theophilus Antioch., Ad Autol. l. II et III *MG 6, 1047 ss* de historia creationis et populi Israel, Cyr. Alex., in Os t. I v. 3 de historia Gomer mulieris, *MG 71, 26*), b) *contra Origenem,* qui docuit posse in libris sacris quaedam inveniri, quae non sunt vera facta historica (De princ. 4, 19 *MG 11, 383*) statim unanimiter Patres *insurrexerunt:* Methodius (De resurr. 2 *MG 18*), Epiphanius (Ancor. 54 *MG 43, 384*), Eustathius Antioch. (De engastrimytho 21, 22 *MG 18, 655*), Theophil. Alex., (1 ep. pasch *ML 22, 778*), Hieron. (ep. ad Pammach. et Ocean. *ML 72, 744,* in Dan 10, 4 *ML 25, 554*), et similiter *contra Cajetanum* similia proponentem statim Ambrosius Catharinus, Alphonsus de Castro, Melchior Canus, Alexander Natalis, ex quibus aliqui eius opinionem haereticam appellabant, c) *dissertis verbis* PP. et theologi docent in libris historicis omnia vera facta esse („*neque enim quidquam mythici* in scriptura continetur, plena autem omnia veritatis," Cyr. Alex., c. Julian. III, *MG 76, 851.*

108 ***Arg. tertium. — Ex ratione hagiographi tamquam causae instrumentalis.*** — Ex iis, quae de indole inspirationis supra dicta sunt, liquet hagiographum esse instrumentum rationabile in manu Dei, neque posse eum eiusque actionem adaequate concipi, nisi quatenus ut a Deo causa principali dependens consideratur. Atqui *in sententia scholae largioris concipitur hagiographus quasi* esset

ipse et actus eius *plane independens,* eodem enim gradu ponitur sicuti quicumque alius scriptor profanus sui temporis cum omnibus defectibus.

Arg. quartum. — ***Ex ratione theologica.*** — 109
Si semel admittitur in libris historicis s. scripturae possibilitas erroris materialis ad mentem scholae largioris, iam *omnis auctoritas s. scripturae* in rebus historicis *perit.* Atqui hoc admitti nequit.

Ratio affirmationis in prop. *maiore* contentae ex eo petitur, quod *nullum datur criterium obiectivum* ad distinguenda ea, quae errorem materialem admittunt, ab iis, quae talem errorem non admittunt. Criteria enim, quae ab aliquibus adducuntur, (e. gr. licet historiam liberam supponere, si admissa historia stricta graves difficultates habentur, non licet, si res narrata est gravioris momenti, basis et fundamentum instructionis religiosae ab hagiographo intentae etc.), nimis subiectiva, vaga, arbitraria sunt.

Thesis per refutationem argumentorum in 110
contrarium propositorum demonstratur. — ***Arg. primum.*** — ***Ex modo loquendi s. scripturae in rebus physicis.*** — In s. scriptura occurrunt *locutiones de rebus physicis,* quae si stricte sumuntur, *materialiter falsae* sunt (de solis occasu, de motu solis), neque tamen ullus error formalis iis continetur, quia ex intentione Spiritus sancti non sunt sensu stricte verbali accipiendae. Ergo a pari possunt in scriptura narrationes de factis proponi, quae si ad verbum sumerentur, materialiter falsae utique essent, sed formalem errorem non continent, quia ex intentione Spiritus sancti non sensu stricte verbali sunt accipiendae, sed potius ut historia libera, popularis etc. Quam applicationem modi loquendi de rebus physicis ad narrationes historicas videtur ipsa encyclica „Providentissimus" comprobare; postquam enim pontifex (edit. ap. Cornely n. 27 et 28) de rebus physicis in s. scriptura disseruerat, ad res historicas gressum faciens verbis utitur: „Haec ipsa ad cognatas disciplinas, ad historiam praesertim, iuvabit transferri" (ibid n. 30).

Resp. dist. Ant.: et hoc propterea, quia ex communi usu loquendi quisque extra tractatum scientificum de physica (qualem scripturam non esse positive scimus) de rebus physicis agens modo communi dicendi, qui est secundum ea, quae ad extra apparent, sese accommodat et ita ab omnibus intelligitur *conc.*, non esset verus error et formalis, si de tali usu loquendi non constaret *n.* et *nego cons.* — *In narrandis factis* vice versa *unusquisque supponitur veram historiam narrare* et ita etiam intelligitur, nisi aliunde contrarium positive constat. Praeter hoc fundamentale discrimen inter res physicas et narrationes historicas alia discrimina adhuc habentur: a) de rebus physicis *solum per incidens* hinc inde sermo fit. historias integri libri tradunt, b) locutiones de rebus physicis *nullo modo cum aliis* in scriptura contentis interno nexu *cohaerent,* facta historica intime cum toto et proprio argumento nectuntur. — *Ad rationem* additam ex encycl. „Providentissimus" ***resp. dist.:*** et haec verba *„iuvabit transferri"* referenda sunt ad modum pugnandi contra adversarios s. scripturae, de quibus *immediate antea* sermo est *conc.*, ad modum loquendi scripturae in rebus physicis et historicis *n.* Quod ex contextu antecedente et subsequente dictorum verborum comprobatur, et ceterum ex ipso scopo encyclicae, quae praecise omnimodam inerrantiam scripturae statuit, clarum est.

111 ***Arg. secundum. — Ex conditione hagiographorum.*** — Hagiographi erant *filii suae aetatis*, non maiore scientia praediti quam eorum coaevi neque aliam methodum scribendi noscentes. Atqui per inspirationem non fuerunt miraculose in aliam conditionem elevati. Ergo scribebant secundum scientiam sibi propriam et methodo tunc usitata, i. e. historias liberas, populares, adhibebant citationes implicitas etc. — ***Resp. dist. mai.:*** si accipiuntur *seorsim ab influxu* inspirationis *conc.*, si sub influxu inspirationis *sbd.* manebant filii suae aetatis etc. in quantum novas scientias et novas methodos per inspirationem non accipiebant *conc.*, in quantum ab errore non praeservabantur *n.*

Arg. tertium. - ***Ex scopo inspirationis.*** Libri inspirati *pro scopo* habent *instructionem religiosam.* Atqui cum tali scopo optime conjungitur, immo ab ipso aliquando exigi videtur, ut narretur in scriptura historia non stricta, sed per additiones, accomodationes etc. in accidentalibus fini educativo religioso adaptata. 112

Resp. trans. mai., dist. min.: si adsunt *sufficientia argumenta* s. scriptorem voluisse conscribere historiam liberam etc. et non historiam strictam *conc.*, si non adsunt *n.* — Ceterum rem *non ex scopo* s. scripturae, sed ex positivis testimoniis probamus.

Alia argumenta, quae adducunt, in obiectionibus innuuntur.

Obiectiones. — Contra *argumentum* nostrum ex doctrina Patrum et theologorum obici posset: 1) Consensus Patrum et theologorum non praebet certum argumentum nisi in rebus fidei et morum. Atqui quaestio, quinam sit sensus librorum historicorum s. scripturae, non est res fidei et morum. Continent enim hi libri fere omnes historias factorum profanorum. — 2) Insuper ipsi ss. Patres errores in s. scriptura[e] historiis admittunt, ita s. Hieronymus, qui dicit „multa in scripturis sanctis dici iuxta opinionem illius temporis, quo gesta referuntur, et non iuxta quod rei veritas continebat“ (Comm. in Ierem l. V. 29; similia habet in Mt l. 2 c. 14, c. Helvid. 4, comm. ad Ezech l. IV ad c. 13, 1 ss) — 3) S. Thomas, in 2 sent. dist. 12 qu. 1 a. similiter sentire videtur. („Quaedam sunt per se substantia fidei. ut Deum esse trinum et unum et huiusmodi: in quibus nulli licet aliter opinari ... quaedam vero per accidens tantum ... sicut multa historialia: et in his etiam sancti diversa senserunt, scripturam divinam diversimode exponentes“). — 4) Saltem consensus theologorum non adest, cum plures contrarium senserunt: Lessius, Bonfrère, Gonet, Chrisman, Calmet, Jahn, Haneberg, Janssens, Drey, Aberle, Kuhn, et omnes asseclae scholae largioris. — 5) Deinde in locutionibus de rebus physicis videtur re vera adesse error. Nam omni verbali enuntiationi aliquod iudicium respondere debet, atqui locutionibus illis de rebus physicis non potest aliud iudicium respondere, nisi quod directe verbis exprimitur, hoc autem certe est falsum, cum obiectivo rerum statui non respondeat. — 6) Saltem haec concedenda esse videntur: a) ipsos hagiographos de rebus physicis scribendo hoc falsum iudicium habuisse, b) omnes has res in scriptura legentes necessario hoc falsum iudicium sibi formasse. — 7) Et confirmatur hoc eo, quod et ss. Patre[s] et theologi posteriores unanimiter locutiones istas de rebus physicis verbaliter sumebant, quare etiam explicatio Galilei haeretica habita 113

sit. — 8) Ceterum occurrunt in scriptura etiam directe falsae affirmationes quoad scientias naturales, ut si e. gr. granum sinapis minimum dicitur (Mc 4, 31) vel choerogryllus et lepus inter animalia ruminantia recensentur (Lev 11). — 9) Si non admittitur in ss. libris historia libera, popularis vel citationes implicitae, oportet recurrere fere in omni difficultate ex historia solvenda ad corruptionem textus. Atqui hoc molestum est et ridiculos nos facit apud adversarios. — 10) Hagiographi non habebant alios fontes nisi narrationes et traditiones populares quoad substantiam tantum veras. Ergo non poterant nisi quandam historiam liberam et popularem conscribere. — 11) Deus in s. scriptura conscribenda conditioni hominum sese accomodaverit. Atqui ad hoc etiam errores materiales permittere potuit. Similiter enim magister per errores materiales, quos tolerat in discipulis, paulatim eos ad plenam veritatem perducit. — 12) Deus per s. scripturam aut voluit homines edocere de factis profanis aut non. In primo casu multo fusius et accuratius ea narrari deberent, in secundo casu sufficit, si quoad substantiam vera sunt et ad aedificationem apta.

Quaestio quinta.

De criteriis inspirationis.

Cf. Pesch n. 643 — Dorsch p. 207 ss.

114 ***Status quaestionis.*** — Quaeritur, *ex quo signo diiudicare possim librum* aliquem esse *inspiratum*, vel quo signo, quo testimonio possim librum inspiratum a non inspirato discernere. Tale signum igitur *criterium* inspirationis vocatur et potest esse aut *negativum*, ex cuius praesentia solum cognosco librum aliquem non esse inspiratum, aut *positivum*, ex cuius praesentia cognosco librum esse inspiratum, deinde *internum* (ex indole, proprietatibus, effectibus libri in mente legentis etc.) et *externum* (ex traditione etc.) Cum inspiratio sit aliquod factum supernaturale, de ipso infallibilis certitudo haberi debet, sed potest etiam haberi certitudo humana; si de criterio inspirationis hic quaerimus, illud inquirimus, quod infallibilem certitudinem praebeat. Hoc autem in *solo infallibili magisterio*

ecclesiae inveniri probamus, refutantes primo criteria falsa et insufficientia et deinde positive rem demonstrantes.

Thesis 17. Inspiratio neque in se ipsa sufficiens sibi criterium est, neque ex indole libri vel ex conditione hagiographi aut eius testimonio infallibiliter cognosci potest.

Declaratio. — Ad haec et similia criteria mere interna *protestantes* provocant, quorum nonnulli usque 16 criteria interna enumerant. Ex indole hagiographi, quod nempe fuerit propheta vel apostolus, etiam aliqui catholici auctores sufficiens criterium inspirationis repetere volunt, ut *Ubaldi*, Introductio in s. scripturam 1878, *Schanz*, Apologie des Christentums[3], II 1905. 115

Probatur prima pars. — Influxus inspirativus Dei *ab aliis* praeter hagiographum *nullatenus apprehenditur, ab ipso hagiographo* autem saltem *non necessario* apprehenditur. Ergo neque humano modo certum, eo minus infallibile criterium esse potest. 116

Probatur secunda pars. — Licet a priori re considerata posset liber sacer talibus proprietatibus ornari a Deo, ut ex iis ad inspirationem libri concludere liceret, tamen de facto ex proprietatibus librorum sacrorum certe inspiratio eorum cognosci non potest. Proprietates enim, ad quas provocant, puta sublimitas, maiestas, efficacia ad fidem et pietatem excitandam etc. a) *etiam in libris non inspiratis* inveniuntur, b) *non in omnibus* libris inspiratis adsunt, c) saltem non *pro omnibus* (rudibus et simplicibus) proportionatum et aptum medium ad cognoscendam inspirationem essent. 117

Probatur tertia pars. — A priori quidem non repugnat, quominus Deus rem ita instituat, ut libri a prophetis et apostolis conscripti, et quidem hi soli, sint inspirati, ita ut ex conditione s. scriptoris certitudine saltem humana ad inspirationem concludi possit, de facto tamen conditionem hagiographi certum signum inspirationis non posse 118

esse dicimus. — Certe conditio hagiographi *neque* est criterium a) *exlusivum, neque* b) *affirmativum.* Non exlusivum (ut *solus* liber a propheta vel apostolo conscriptus sit inspiratus), quia de facto dantur libri sacri, qui *neque a propheta neque ab apostolo* sunt scripti. Neque dici potest eos in tantum esse inspiratos, in quantum doctrinam a propheta vel apostolo sine errore continent, cum ad rationem inspirati libri non sufficiat, ut doctrinam revelatam absque errore contineat et inspiratio etiam ad res profanas sese extendere debeat. Neque est criterium affirmativum, (ut *omnis* liber a propheta vel apostolo conscriptus sit inspiratus), nam *per revelationem et mandatum praedicandi,* quod prophetae et apostoli acceperunt, *non simul mandatum vel motionem ad scriptionem* ss. librorum obtinuerunt, neque si obtinuissent speciale mandatum, per talem motionem antecedentem inspiratio et ab errore praeservatio praes. in conscribendis rebus profanis iam adest.

119 ***Probatur quarta pars.*** — Per se certe affirmatio hagiographi librum a se conscriptum esse inspiratum potest esse criterium certitudinem humanam praebens, immo si miraculo confirmaretur tale testimonium, etiam criterium infallibile. De facto tamen testimonium hagiographorum neque certum criterium humanum praebet, cum *multorum librorum sacrorum auctores sint ignoti* et nullus fere auctor sacer de sua inspiratione testetur.

120 ***Obiectiones.*** — 1) Scriptores ecclesiastici ad distinguendos libros sacros ab apocryphis ad indolem libri quandoque provocabant (Eus. H. E. III, 25: „Ipsum dicendi genus longe ab apostolica simplicitate discrepat, sensus quoque ipse et quae ibidem traditur fides... haec hareticorum figmenta esse manifeste arguit.“) — 2) Et sane liber pure humanus non potest doctrinam revelatam, praesertim mysteria sublimissima, modo claro, sine errore etc. continere. — 3) Morte apostolorum conclusa est revelatio. Nullum igitur potest exstare scriptum vere inspiratum et divinum, quod ab apostolis et discipulis eorum non esset scriptum. — 4) Patres saepius hac argumentatione utuntur: Liber hic est ab apostolo conscriptus, ergo est inspiratus. Atqui hoc modo conditionem hagiographi pro criterio saltem affirmativo assumunt. — 5) Ipsa ecclesia antiqua, si de libro in canonem recipiendo agebatur, inquirebat, utrum liber sit originis apostolicae nec ne.

Thesis 18. **Neque ipsius s. scripturae testimonium certum criterium inspirationis praebet, sed unicum certum et infallibile criterium est testimonium authentici magisterii in traditione fundatum.**

Probatur prima pars. — Si a priori rem consideramus, posset esse ipsa s. scriptura criterium inspirationis suae, non in quantum sumitur ut inspirata, sed in quantum consideratur ut documentum verax humanum, et quidem posset esse etiam criterium infallibile, quatenus pro inspiratione adduceret testimonia eorum, qui probantur esse legati divini vel testes divinae revelationis. — *De facto* tamen *scriptura ipsa,* ut iam ex argumentis ad thesim nonam probandam allatis (n. 51) elucet, *non testatur* inspirationem librorum N. T., paucis exceptis. Sed neque V. T., nam Christus et apostoli neque omnes libros sacros allegant neque umquam enumerant. 121

Probatur secunda pars. — Arg. primum, per exclusionem. — Aliquod criterium certum, immo infallibile ad discernendos libros inspiratos a non inspiratis adesse debet. Atqui ex praecedentibus constat *nullum ex hucusque allatis sufficere.* Ergo *ad illud,* quod adhuc remanet, scil. ad magisterii authentici testimonium in traditione fundatum recurrendum est. 122

Arg. secundum, ex theoretica et practica traditione. — Ad hoc criterium enim *PP. provocant* (Cyr. Hieros., Cat. 4, 33 *MG 33, 404*: „*Studiose disce* et quidem *ab ecclesia*, qui sint veteris testamenti libri, qui vero novi"; Aug., c. Faust. 23, 9 *ML 42, 471*: „Aliae litterae apud nos non habent ullum pondus auctoritatis; ipsae sunt enim, *quas recepit et tenet ecclesia* toto orbe diffusa"). — Ecclesiae autem magisterium peremptorio iudicio canonem s. scripturae omnibus fidelibus tenendum saepius praescribebat et ad traditionem antiquam hac in re provocabat (Conc. Carth. a. 419, can. 29, Conc. Trid., D 783, Conc. Vat., D. 1787). 123

124 ***Obiectiones.*** — 1) Si magisterium authenticum in traditione fundatum est infallibile criterium ad libros inspiratos cognoscendos, non explicatur, quomodo primis ecclesiae temporibus lis esse potuerit, quinam libri ad canonem inspiratum pertinerent. — 2) Ipsi magisterii authentici auctoritas ex s. scriptura debet probari. — 3) Saltem etiam traditio mere historica de origine et evolutione canonis ss. librorum debet ut speciale criterium admitti.

O. A. M. D. G.

Index thesium.

Pars prima.

Pag.

De divina traditione . . . . . 1—18

Quaestio prima.

De existentia traditionis . . . . . 1—10

Thesis 1. — Sacra scriptura non est regula immediata fidei, sed medium proximum et authenticum conservationis et propagationis doctrinae Christi est magisterium vivum a Domino institutum 2

Thesis 2. — Sacra scriptura non est unicus revelationis fons, sed praeter s. scripturam alius fons divinae revelationis datur nempe traditio 4

Thesis 3. — Traditio divina est fons revelationis a s. scriptura ita distinctus, ut quaedam dogmata in traditione contineantur, quae in s. scriptura non inveniuntur 7

Thesis 4. — Magisterii authentici est etiam ipsam s. scripturam authentice explicare, saltem in rebus fidei et morum . . . 8

Quaestio secunda.

De criteriis divinae traditionis . . . . . 10—18

Thesis 5. — Unanimis ss. Patrum in rebus fidei et morum consensus infallibile criterium traditionis divinae praebet . . . 11

Thesis 6. — Etiam singuli Patres in rebus fidei et morum aliquid certo proponentes veram theologicam auctoritatem habent, immo certis in circumstantiis paucorum, aliquando unius Patris testimonium infallibile traditionis criterium esse potest 14

Thesis 7. — Unanimis et constans theologorum catholicorum consensus in rebus fidei et morum est infallibile criterium traditionis 16

Pars secunda.

Pag.

De s. scriptura . . . . . 19—66

Quaestio prima.

De existentia inspirationis s. scripturae . . . . . 19—27
Thesis 8. — Collectio librorum, quae s. scriptura vocatur, summam et divinam auctoritatem habet 20
Thesis 9. — Scriptura sacra Spiritu sancto inspirante conscripta Deum habet auctorem 21

Quaestio secunda.

De natura vel indole inspirationis s. scripturae . . . . . 28—39
Thesis 10. — Inspiratio falso explicatur ut singularis quaedam commotio religiosa, qua hagiographi correpti sensa sua et affectus religiosos litteris consignaverunt . . . . . .
Thesis 10. — Non sufficit ad inspirationem, ut liber sine errore revelationem divinam contineat, neque inspiratio in sola negativa assistentia Dei absolvitur, qua scil. Deus providit, ne hagiographus errorem conscribat 29
Thesis 11. — Neque subsequens libri humanitus antea conscripti approbatio per Deum vel ecclesiam Spiritu sancto assistente facta eundem librum in ratione scripturae divinitus inspiratae constituit 32
Thesis 12. — Inspiratio, qua Deus auctor scripturae est, tribus constituitur: illustratione intellectus, qua hagiographus veritates communicandas mente concepit, voluntatis motione, qua ad veritates ita conceptas easque solas scripto consignandas determinatus est, assistentia, qua ad rectam veritatum expressionem manuductus est 34

Quaestio tertia.

De extensione inspirationis . . . . . 40—51
Thesis 13. — Divina scripturae inspiratio ad omnes omnino sententias se extendit, adeo, ut quaelibet propositio a scriptura asserta verbum Dei formale scriptum sit 42
Thesis 14. — Inspiratio stricte verbalis vel dictatio singulorum verborum non est admittenda, possunt tamen verba et constructiones vero aliquo sensu dici inspirata 47

Quaestio quarta.

Pag.

De inerrantia s. scripturae . . . . . 51—62

Thesis 15. — Sacra scriptura ab omni errore immunis est . . . 52

Thesis 16. — Inerrantia s. scripturae modo demonstrata in recentioribus opinionibus s. d. scholae largioris salvari non videtur 55

Quaestio quinta.

De criteriis inspirationis . . . . . 62—66

Thesis 17. — Inspiratio neque in se ipsa sufficiens sibi criterium est, neque ex indole libri vel ex conditione hagiographi aut eius testimonio infallibiliter cognosci potest 63

Thesis 18. — Neque ipsius s. scripturae testimonium certum criterium inspirationis praebet, sed unicum certum et infallibile criterium est testimonium authentici magisterii in traditione fundatum 65

Index alphabeticus nominum et rerum.

(Numerus paginam indicat).

Affectus hagiographi 44
Ambrosius de inspiratione 22, 23
Ambrosius Catharinus de inerrantia 58
Aphraates de inspiratione 23
Apostoli de divina auctoritate scripturae 20
— de inspiratione 23
— de extensione inspirationis 43
— de inerrantia s. scripturae 53, 57
Aratus 33
Assistentia in scribendo 38
Athanasius de inspiratione 22
Auctor libri quinam 21
Auctoritas divina scripturae s. 20
Augustinus de regula fidei 3
— de inspiratione 22, 23
— de extensione inspirationis 43
— de inerrantia s. scripturae 53
— de criteriis inspirationis 65
Bannez 41
Bartolo Salv. 52
Basilius de regula fidei 3
— de traditione ut fonte 6, 8

Basilius de inspiratione 22
— de inerrantia s. scripturae 54
Bellarminus de inerrantia s. scripturae 54
Billot Card. 48, 49
Billuart 41
Bonaventura de inerrantia s. scripturae 54
Bonfrère 30, 32
Canus M. de inerrantia s. scripturae 54, 58
Carthagin. concil. de criteriis inspirationis 65
Castro Alphonsus de inerrantia s. scripturae 58
Chrisman 30
Christus Dominus de div. auctoritate scripturae 20
— de inspiratione 23
— extensione inspirationis 43
— de inerrantia s. scripturae 53, 57
Chrysostomus de traditione ut fonte 6
— de inspiratione 22, 23
Citationes in scriptura 44
— s. d. implicitae 56, 57
Clemens Alex. de inspiratione 22, 23
Clemens Romanus de inspiratione 22
Commissio biblica de opinionibus scholae largioris 57
Conscientia inspirationis in hagiographo 37
Constantin. IV. de auctoritate Patrum 13
Cornely 35, 42, 52, 59
Criterium inspirationis, quid sit, positivum, negativum, internum, externum 62
Criteria traditionis 10
Cyprianus de inspiratione 22
Cyrillus Alex. de inspiratione 22, 23
— de extensione inspirationis 43
— de inerrantia s. scripturae 58
Cyrillus Hieros. de regula fidei 3
— de inspiratione 22
— de criteriis inspirationis 65
Dictatio verborum reicienda 48
Diversitas locutionis hagiographorum contra dictationem 48
θεόπνευστος 24, 44
Ephraem Syrus de inspiratione 22
Epimenides 33
Ephiphanius de traditione ut fonte 6
— de inerrantia s. scripturae 58
Erasmus 41
Error materialis, formalis 55
Eustathius Antioch. de inerrantia s. scripturae 58
Extensio inspirationis 40, 47
Fidelium consensus 18
Flavius Josephus de divina auctoritate s. scripturae 20
Fontes revelationis 1, 4
Franzelin Card. 39
Gnostici 19, 40
Gregorius M. de inspiratione 22
Gvegorius Nazianz. de inspiratione 22, 23
— de extensione inspirationis 43
Gregorius Nyssenus de inspiratione 22
Grotius H. 29
Günther 13, 16
Haneberg 32
Hagiographi conditio non arguit possibilitatatem erroris in s. scriptura 58, 60
— conditio et testimonium non est criterium inspirationis 63
Hermes 16
Hieronymus de inspiratione 22, 23
— de inerrantia s. scripturae 53, 58
Hyppolitus de inspiratione 22
— de inerrantia s. scripturae 53
Historia libera, popularis 56

Holden 29, 40
Holzhey 56
D'Hulst 52
Hummelauer 56
Illustratio mentis in hagiographo 36
Indoles libri s., an sit argumentum pro inspiratione 25
— non est criterium inspirationis 63
Inerrantia s. scripturae 51
Infallibilitas differt ab inspiratione 31
Influxus inspirativus in voluntatem hagiographi 37
Inspiratio, existentia 19
— indoles et natura 28, 34
— negativa reicitur 29
— item subsequens 32
— differt ab influxu gratiae actualis 37, —extensio 40
— verbalis reicienda 47, 49
— ipsa sibi non est criterium 63
Irenaeus de regula fidei 3
— de inerrantia s. scripturae 53, 58
Jahn M. 30
Joannes XXII de inerrantia s. scripturae 52
Judaei de divina auctoritate s. scripturae 20
Justinus de inspiratione 22
— de extensione inspirationis 43
Lagrange 56
„*Lamentabili*“ 52
Lateran. conc. de auctoritate PP. 12
Lenormant 40, 52
Leo M. de inspiratione 22, 23
Leo XIII. de inerrantia 52
— de extensione insp. 42
Liber, quid sit 21, 34
Luther 17
Magisterium authenticum ut regula immediata fidei 2
Magisterium authenticum docet traditionem ut fontem distinctum 8
— explicat authentice s. scripturam 8, 10
— de Patrum auctoritate 12
— de auctoritate theologorum 17
— de inerrantia s. scripturae 53
— de criteriis inspirationis 65
Manichaei 19, 40
Methodius de inerrantia s. scripturae 58
Modernistae de auctoritate Patrum 12
— de divina auctoritate scripturae 19
— de natura inspirationis 28
Narrationes fictae, an in s. scriptura 56
— de rebus physicis 59
Natalis Alex. de inerrantia s. scripturae 58
Newman Card. 41
„*Obiter dicta*“ 40, 51
Origenes de divina auctoritate s. scripturae 20
— de inspiratione 22
— de inerrantia s. scripturae 58
„*Pascendi*“ 29, 52
Patres, notio et proprietates 11
— approbatio quotuplex 12
— quotuplex consideratio 12
— auctoritas 13
— seorsim spectati 13, 15
— auctoritas quoad conclusiones 14
— regulae de explicatione 15
Peters N. 56
Pesch Chr. 49
Philo de divivina auctoritate scripturae 20
Pistoriensis pseudosynodus 17
Pius IX. de auctoritate theologorum 17
Plutarchus de voce inspirationis 24

Protestantes de regula fidei et de fontibus revelationis 1
— de Patrum auctoritate 12
— de theologorum consensu 16
— de inspiratione 19
— de indole inspirationis 28
— de extensione inspirationis 41, 48
— de inerrantia s. scripturae 51
— de criteriis inspirationis 63
„Providentissimus“ 35, 42, 51, 59
Pseudo-Phokilides de voce inspirationis 24
Rationalistae de auctoritate s. scripturae 19, 28
Regula immediata fidei 1
Revelatio scribendorum ad inspirationem non requiritur 36
Schanz 63
„Schola largior“ de inerrantia s. scripturae 55
Scholae catholicae 16
Scopus inspirationis et inerrantia s. scripturae 61
Scriptura non immediata regula fidei 2
— probat traditionem ut fontem 5, 6
— inspirationem 23, 25
— indolem inspirationis 35
— extensionem inspirationis 43
— inerrantiam 53, 57
Sententiae in s. scriptura duplicis ordinis 9, 40
— omnes inspiratae 42
Sybillini libri de voce „inspiratio“ 24
Tertullianus de regula fidei 3
Theologi catholici, definitio et auctoritas 16
— diversitas auctoritatis 17
— de inerrantia s. scripturae 58
Theophilus Antioch. de extensione inspirationis 43
— de inerrantia s. scripturae 58
Thomas Aqu. de inerrantia 54
Thomistae 41, 48
Traditio de regula fidei 3
— definitio, divisiones 4
— probatur fons revelationis 4
— a s. scriptura distinctus 7
Tridentinum de traditione ut fonte 5
— de auctoritate Patrum 13
— de auctoritate theologorum 17
— de auctoritate explicandi s. scripturam 9
— de inspiratione script. s. 22
— de extensione inspirationis 42
— de criterio inspirationis 65
Turretinus 41
Typicus sensus, an sit argumentum inspirationis 26
Ubaldi 63
Vaticanum de regula fidei 2
— de traditione ut fonte 5, 8
— de auctoritate explicandi s. scripturam 9
— de inspiratione s. scripturae 22
— de natura inspirationis 32
— de extensione inspirationis 42
— de criterio inspirationis 65
Veracitas s. scripturae 51
Verba certo sensu inspirata 50
Verbum Dei, quid 21
Zanecchia 39, 48, 56

17366
216
Sp 11
SPACIL, T., S.J.
AUTHOR
De Fontibus Revelationis
TITLE
DATE LOANED
BORROWER'S NAME
ROOM NUMBER
L. Sullivan
J. Healy
Newport
NOV 23
Morton
OCT 27
Hargreaves
FE
Kinstonian
Mara
ST
17366